

## TRACTATUS III.

# DE CHARITATE

S. Alf. lib. 2. H. A. tr. 4.

Exponemus: 1º notionem charitatis, 2º praeceptum charitatis erga Deum, 3º praeceptum charitatis erga proximum, 4º ordinem servandum in dilectione proximi, 5º effectus seu opera charitatis proximi, 6º peccata contra charitatem proximi.

### CAPUT I.

#### NOTIO CHARITATIS

338. — Charitas est virtus theologica, a Deo infusa, qua diligimus Deum propter seipsum, nosipsos vero et proximum propter Deum.

Itaque: 1º *Objetum* materiae primarium charitatis est Deus, secundarium nosipsci et proximus. Nomine proximi comprehenditur omnis rationalis creatura, quae *beatitudinis* particeps aut capax est.

2º *Actus*, qui ab habitu charitatis procedit, ille est, quo diligimus Deum propter seipsum ac super omnia, quique amor *benevolentiae* seu amor *perfectus* vocatur; quatenus porro hic amor est mutuus inter Deum et hominem, fundatus in communicatione supernaturalis beatitudinis, qua Deus suam beatitudinem nobis communicat, dicitur **AMICITIA** supernaturalis.<sup>1)</sup> — Actus vero, quo Deum diligimus propter bonum nostrum, amor *concupiscentiae* seu amor *imperfectus* nuncupatur; pertinet ad virtutem spei.

3º *Motivum* diligendi Deum est divina bonitas seu infinita eius perfectio in se et propter se super omnia amabilis, lumine supernaturali cognoscibilis, coalescens ex essentia Dei et eius attributis omnibus. Disputatur autem an aliqua perfectio divina seorsum sumpta possit esse motivum actus charitatis perfectae; de qua re vide Dogmaticos.

Idem autem motivum quo diligimus Deum, est etiam motivum quo supernaturaliter diligimus nosmetipsos et proximos. Ratio est quia ratio diligendi proximum Deus est; hoc enim diligimus in proximo, ut in Deo sit et ei inhaereat. (n. 24.)

<sup>1)</sup> Ofr. 2. 2. qu. 23. a. 1.

339. — Quaestiones. QUAER. 1º *An desiderium possidend Deum sit actus charitatis.*

*Resp. Dist. Affirmative*, si eliciatur ex motivo Summum Bonum perfectius diligendi: et tunc est actus charitatis perfectissimus, cum possessio Dei sit charitatis consummatio. *Negative* vero, si eliciatur ex motivo propriae beatitudinis; tunc enim est actus spei seu amoris concupiscentiae. (n. 24.)

QUAER. 2º *An diligere Deum propter beneficia sit actus charitatis.*

*Resp. Negat.*: est enim actus gratitudinis, qui ad concupiscentiam pertinet. Excipe tamen, si beneficia spectentur tamquam effluvia bonitatis divinae, quibus pervenimus ad cognoscendam bonitatem divinam et ad amandam eam ut est in se; tunc enim in illis diligitur, non iam bonum recipientis, sed bonitas largientis. (n. 24.)

## CAPUT II.

### PRAECEPTUM CHARITATIS DEI

340. — Principia. I. EXSTAT speciale praeceptum charitatis Dei, h. e. diligendi Deum super omnia, amore benevolentiae. Constat ex Deuter. VI. 5: «Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.» Hoc Christus apud Matth. XXII. 38 vocat «maximum et primum mandatum.» Sensus illorum verborum est, quod homo Deum diligere debeat ex omnibus facultatibus suis, ita ut nihil sit in intellectu, nihil in voluntate, neque in sensu, neque in externa operatione, quod non ad Deum referatur.

Dixi 1º *super omnia*, id est, magis quam res omnes creatas diligere; hoc autem intelligi debet, non intensive, nempe vehementiori affectu, sed obiective, quo Ei maius bonum volumus quam aliis, et appretiative, cum maiori scil. aestimatione, praeponendo Dei anorem cuicunque creaturae, ita ut pro nulla re Dei amicitiam amittere velimus. Etenim, licet decens sit et ad maiorem charitatis perfectionem pertineat, ut Summum Bonum intensiore ac vehementiore amore, quam bona creata, amemus, id tamen praeceptum non est. — Dixi 2º *amore benevolentiae*: quia hic amor solus est actus proprius charitatis, ut liquet ex eius definitione. (n. 22.)

Deum porro diligere debemus non solum effective, mandatorum observatione, verum etiam affective, actu interno voluntatis, quem elicere debemus; alioquin non esset speciale et distinctum praeceptum. (Perrone. de Carit. n. 250.)

II. *Praeceptum charitatis obligat ad FREQUENTER eliciendos eius actus.* Ratio quia secus impossibile erit multo tempore servare omnia reliqua praecepta. Qui enim tepide amat finem, tepide tantum media ad illum finem aggredietur et circa media ardua facile deficiet. Atqui observatio praeceptorum medium arduum est ad finem supernaturalem. Ergo. Confirmatur Deuter. VI. 6-9.

In specie autem praeceptum eliciendi actus charitatis obligat *per se*, i. e. ratione ipsius praecepti: 1º post adeptum usum rationis, cum homo Deum ut Summum Bonum super omnia amabile et amandum sufficienter agnovit; 2º in articulo mortis; tunc enim maxime opus est Deo se coniungere exercitio charitatis; 3º saepius in vita, uti constat ex dictis. Difficile autem est tempus fixum et certum determinare, quo urgeat hoc praeceptum; id remittendum est ad arbitrium prudentium. Alii obligationem restringunt ad semel in anno, sicut actus fidei et spei. Alii, et hi plures, eam extendunt ad dies Dominicos et Festos; quippe qui pro cultu Dei designati sint. Alii demum, quorum sententia S. Alfonso magis arridet, a mortali non excusat eum, qui per mensem actum charitatis omittit; quia difficulter mandata divina servaturus est ille, qui tanto tempore nullum huiusmodi actum exercet, et de Deo diligendo non curat. Plurimi tamen ab hoc peccato excusabuntur propter ignorantiam aut inadvertentiam invincibilem. (n. 8. H. A. n. 13. Vind. Alf. part. 2. qu. 3.)<sup>1)</sup>

*Per accidens* obligat: 1º cum quis vel administrare Sacramentum, vel recipere debet Sacramentum vivorum, et non in statu gratiae, nec suppetit copia confessarii; tunc enim necessarius est actus contritionis perfectae; 2º cum quis est in periculo peccandi, quod removere non possit nisi actu charitatis. (n. 23. H. A. n. 13.)

III. *Ad hoc praeceptum charitatis pertinet, ut OMNES ACTIONES nostras deliberatas AD DEUM REFERAMUS tamquam ad finem nostrum ultimum.* Constat ex Apostolo I Cor. x. 31: «Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite»; item Coloss. III. 17. Quibus verbis praeceptum contineri SS. Patres communiter docent, ut videre est apud S. Alf. Lib. 5 de act. hum. n. XLIV. Ratio est autem, quia debemus Deum amare super omnia, hoc est: tamquam ultimum finem. Ultimus autem finis amatur per hoc, quod cetera *omnia* ad illum ordinantur. Unde eo ipso quod aliquis non *omnia* opera sua sive actualiter sive virtualiter in Deum refert, iam non habet Deum ut finem ultimum.

Non igitur praeceptum hoc *omnia* in Deum referendi videtur esse novum praeceptum superadditum praecepto superius in principio II exposito. Sed qui non peccat contra charitatem, seu qui debito modo adimplet eius praeceptum, *eo ipso* actus suos deliberatos ordinat ad Deum; nam: «quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum, quae in ipsum ordinantur ut bona sibi» (S. Th. 2. Sent. dist. 40. qu. 1. a. 5 ad 6.)<sup>2)</sup>

Unde praeceptum, si *negative* intelligatur, praeterit vel per peccatum mortale, quod contra Deum fit, vel per peccatum veniale, quod praeter Deum fit. Si *affirmative* intelligatur, non praecipit quod *actualis* relatio

<sup>1)</sup> Cfr. tres prop. damn. ab Inn. XI, sc. 5: «An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus; » 6: «Probabile est, ne singulis quidem rigorose quicunque per se obligare praeceptum charitatis erga Deum; » 7: «Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, et non habemus aliam viam qua iustificari possumus. »

<sup>2)</sup> Cfr 1. 2. qu. 100. a. 10 ad 2: Lect. 3. in Cap. 3 Coloss. Unde secundum inferius dicenda «habentibus caritatem omnis actus est meritorius vel demeritorius». (De Malo, qu. 2. a. 5 ad 7.)

in Deum sit *actu coniuncta* cuilibet actioni nostrae, sed **VIRTUTE**, secundum quod virtus primae ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus. Ita S. Th. loc. cit. ad 7.

Doctrina hic exposita cohaeret cum illa alia *de habitudine inter charitatem et alias virtutes*, et specialiter cum quaestione, *an et qualis influxus charitatis requiratur, ut aliarum virtutum opera in iusto sint meritoria de condigno*. Quaestio haec est disputata inter auctores. Cfr. supra n. 15 et 51. Aliqui negant influxum requiri, sed sufficere dicunt vel actum in statu gratiae ideoque charitatis habitualis peragi, vel actum elici ex quocumque motivo saltem remoto supernaturali. Iuxta aliam doctrinam<sup>1)</sup> in quolibet actu honesto iusti ope gratiae posito invenitur implicitus amor Dei, ita ut actus *explicitus* et *distinctus* charitatis *non requiratur* ut opera nostra ordinentur ad finem ultimum supernaturalem. Ratio esset quia amor Dei ad essentiam omnis actus virtuosi pertineret; charitas enim est forma virtutum. Dicendum tamen est, charitatem *non esse formam virtutum quasi ad essentiam* omnis actus virtuosi pertineret, sed quatenus per eam actus omnium aliarum virtutum *ordinantur* ad finem ultimum.<sup>2)</sup> Secus enim vix intelligitur specifica *distinctio virtutum a charitate; difficulter insuper explicatur quomodo tunc peccator non per omnem actum honestum vel saltem per actum attritionis iustificaretur*. Quapropter probabilius cum aliis dicendum est, ad meritum de condigno requiri ut *actus aliarum virtutum sive actualiter sive saltem virtualiter a charitate imperentur*. Ratio est: ut actus sit meritorius praemii essentialis, referri debet in Deum ut finem ultimum supernaturalem. Atqui hoc fit tantum per charitatem, nam *sola charitas respicit Deum ut finem ultimum supernaturalem*. Ergo. Et hoc sensu charitas dicitur forma virtutum, utpote complens perfectionem omnium virtutum. Nam in moralibus forma principaliter attenditur ex parte finis; unde id quod virtuti dat ordinem in finem, dat ei formam. Ita S. Thomas<sup>3)</sup> et S. Alfonsus.<sup>4)</sup>

Quaeri autem ulterius potest, *quomodo* haec ordinatio *virtualis* intelligenda sit. Secundum aliquos sufficit semel actum charitatis elicere, ut eo ipso omnia opera bona per totum vitae decursum facienda virtualiter in finem ultimum referantur.<sup>5)</sup> In hac sententia ordinatio charitatis nihil aliud videtur nisi actus quasi *iuridicus* donationis. Propterea alii,<sup>6)</sup> quamquam ordinationem virtualem *in sensu strictiore* necessariam non ducent, exigunt tamen relationem virtualem *in sensu latiore*, id est talem quae procedit a charitate *non quidem ut principio causante actum simpliciter, sed ut eiusdem principio saltem ordinante*.<sup>7)</sup> Illa ordinatio virtualis est *determinatio* quaedam *relictia ex prima intentione*, vi cuius opera exerceantur in amorosum obsequium Dei. Ita homo qui bonam intentionem praemiserit, interrogatus quare hoc vel illud opus bonum agat, tandem aliquando, post plura motiva particularia, allegabit se agere propter Deum et eius beneplacitum, ad complacendum Deo, vel simile quid implicite motivum charitatis involvens. Ut talis bona intentio remaneat, quamvis theoretice et per se unus actus charitatis pro operibus

<sup>1)</sup> J. Ernst. *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, 1905.

<sup>2)</sup> Cfr. 2. 2. qu. 22. a. 8; van Roey, p. 34. p. 57.

<sup>3)</sup> Cfr. 1. 2. qu. 114. a. 4; 2. 2. qu. 23. a. 8; 2 Sent. dist. 40. qu. 1. a. 5 ad 7; de Ver. qu. 26. a. 6; qu. 14. a. 5.

<sup>4)</sup> Cfr. Op. Dogm. I. p. 514. n. 88 (ed. Walter).

<sup>5)</sup> Ita Salmantic. Curs. Theol. Tr. XVI. De Merito, disp. IV.

<sup>6)</sup> Card. van Roey. *De virtute charitatis*, 1929, p. 205-270.

<sup>7)</sup> Quoad criticam huius distinctionis cfr. Deman in *Bulletin Thom.* 7, 1930, p. [83].

subsequentibus esset sufficiens, attenta humana infirmitate id non sufficit, ita ut talis actus saepius renovari debeat.

341. — Notanda pro praxi. 1º Actus charitatis, quamvis eliciantur ad alia pracepta implenda sive ad opera aliarum virtutum exercenda, sufficient ad implendum praceptum. (n. 8.) — 2º Praeceptum hoc facile impletur. Qui enim christiano modo vivunt, frequenter exercent actus dilectionis Dei, quamvis non advertant eos esse actus charitatis; etenim actum charitatis eliciunt, cum desiderant ut omnes Deo serviant; cum volunt implere pracepta, aut pia opera facere eo consilio ut Deo placeant; cum voluntatem suam voluntati Dei conformant, ut Deo placeant; cum mortem aequo ac libenti animo a Deo acceptant, etc. Ad haec, Oratio Dominica tres continet actus charitatis, nimirum desiderium ut sanctificetur nomen Dei, ut omnes voluntatem Dei faciant in terra, sicut fit in caelis, et ut nobis adveniat regnum dilectionis Dei; qui ergo attente et cum affectu dicit Orationem Dominicam, utique tres actus charitatis erga Deum elicit. Praeterea, temptationibus resistere et a peccatis mortalibus abstinere, quia graviter displicant Deo, est actio et omissio ex dilectione Dei. (n. 8. Carden. *dissert.* 6. *cap.* 2. *art.* 3.) — 3º Quanto in homine maior ardet charitas et quanto actiones perfectius procedunt a charitate, tanto maius est earum meritum. Unde magno est emolumento ad charitatis perfectionem sedulo tendere, et saepe renovare propositum omnia propter Deum agendi seu renovare sic dictam rectam intentionem.

### CAPUT III.

#### PRAECEPTUM CHARITATIS PROXIMI

Agemus: 1º de dilectione proximi generatim; 2º de dilectione inimicorum.

##### *Articulus I.*

###### Dilectio proximi generatim.

342. — Principia. I. EXSTAT *praecptum diligendi proximum sicut seipsum.* Constat i. a. ex Matth. xxii. 39: «Diliges proximum tuum sicut te ipsum,» quod Christus vocavit secundum mandatum simile primo diligendi Deum. Quinimo una eademque charitas est, qua Deum proximumque diligimus, nam ratio formalis dilectionis proximi est ipsa bonitas Dei et ipsum diligimus ratione Dei principaliter dilecti.<sup>1)</sup>

Dixi 1º *proximum*, qua voce venit omnis creatura, aeternae beatitudinis capax, sc.: angeli, beati, animae in purgatorio, viatores; in omni enim tali creatura invenitur ratio dilectionis proximi, quum proximum diligamus propter Deum eiusque bonitatem, tales autem per gratiam et charitatem Deo inhaereant vel

<sup>1)</sup> Cfr. L. Jo. IV. 12. 21.

saltem inhaerere possint; et omnes isti sunt capaces aeternae beatitudinis, in cuius communicatione charitas fundatur. — Est igitur charitas omnino *universalis*, neminem, ne inimicum quidem, excludens; nulla enim ratio naturalis efficiere potest ut motivum supernaturale dilectionis in aliquo amplius iam non inveniatur.

DIXI 2º *sicut sepsum*: haec particula non significat *aequalitatem*: debet enim quisque seipsum magis diligere quam alii cum dilectio sui sit regula dilectionis proximi et regula potior sit regulato: verum significat *similitudinem*, quae in tribus consistit, nempe: 1º ut, quemadmodum quis sepsum diligit propter Deum, ita quoque propter Deum diligit proximum; 2º ut non expetat proximo aliiquid, quod sibi ipsi non expetit; 3º ut diligit proximum propter ipsius bonum, sicut quisque seipsum propter proprium bonum diligit. (S. Thom. 2. 2. qu. 44. a. 7.)

II. *Charitas erga proximum debet esse tam INTERNA seu effectiva, quam EXTERNA seu effectiva.* Debet esse interna, quia omnis actus charitatis est actus voluntatis; <sup>1)</sup> debet esse externa, quia charitas tendit in proximum, cui bonum vult. <sup>2)</sup>

NOTA. Differt ergo prorsus christiana charitas a philanthropia moderna; hac enim proximus neque propter Deum, neque semper sincero affectu, neque propter verum ipsius bonum diligitur.

## *Articulus II.*

### **Dilectio inimicorum.**

343. — Ex praeepto charitatis, uti iam vidimus, tenemur diligere inimicos nostros. Constat v. g. ex Prov. xxv. 21: «Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere,» et praesertim ex Matth. v. 44: «Diligit inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro perseverentibus et calumniantibus vos.» Inimicorum porro nomine comprehenduntur ii, a quibus iniuriam sive offensam passi sumus, aut qui nos odio prosequuntur.

Christiana autem dilectio inimicorum tria praesertim postulat: 1º ut iniuria, si qua fuerit, condonetur; 2º ut inimicus etiam positive diligatur; 3º ut cum inimico suo quis se reconciliet. De his actibus in sequentibus §§.

#### **§ I. - CONDONATIO INTURIARUM.**

344. — **Principia. I.** *Quisquis offensam acceperit, tenetur EX CORDE REMITTERE eam, etiamsi offensor veniam non petat.* Constat ex eo, quod nonnisi hac conditione Christus promisit remissionem peccatorum, ut liquet ex Oratione Dominica in Matth. vi. 12-15: «Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;» et Dominus statim

<sup>1)</sup> Cfr. prop. 10. et 11. damn. ab Inn. XI.

<sup>2)</sup> Cfr. I. Jo. III. 18.

subiungit: «Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimitte et vobis Pater vester caelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimitte vobis peccata vestra.» (n. 28.)

Inde consequitur nefas esse vindictam velle.

**II. Offensus autem non tenetur remittere SATISFACTIONEM aut restitutionem PRO DAMNO ILLATO in honore, fama et fortuna:** ad hanc enim ius strictum habet, quod, deposito odio, prosequi potest. Cavendum tamen ne inimicus ad satisfactionem cum nimio suo damno cogatur; aut ne a iudice petatur, cum offensor ipsem rationabilem satisfactionem offert; aut ne exigatur satisfactio laeso prorsus inutilis, et inimico graviter damnosa; haec enim sapiunt appetitum vindictae, qui ceteroquin semper timendus est. (n. 29. Lib. 3. n. 985.)

**Quaestio. An liceat offenso ex zelo iustitiae inimici punitionem petere a iudice.**

**Resp.** Speculative loquendo, affirm.: est enim actus virtutis vindicationis. (cfr. supra n. 295. II.) In praxi vero plerumque non licet, ob periculum scandali et vindictae; nam, ut merito scripsit S. Alfonsus: «facillimum est, ut eorum (i. e. offensorum) erga iustitiam amor sit coloratus praetextus ad tegendam propriae vindictae cupiditatem.» (n. 28. H. A. n. 17.)

Haec, ut patet, spectant offensam mere *personalem*: secus vero esset de offensa quae vergit in *detrimentum commune*, ubi v. g. bonum Religionis vel Reipublicae tutandum est.

**Nota pro praxi.** Offensam revera non remittit, qui dicit: *Nolo offensori meo malum optare, sed neque bene ipsi velle possum:* vel qui asserit se condonare, addit tamen numquam se verbum illi dicturum esse. Si autem quis dicat se ex animo quidem ignoscere, sed numquam fore ut obliviousatur iniuriae acceptae, videndum est quomodo non poterit obliviousi, utrum quoad memoriam tantum et motus involuntarios rancoris, an etiam quoad malevolentiam: primum censendum est, si paratus est debita signa charitatis exhibere.

### § II. - MODUS DILIGENDI INIMICUM.

**345. — Principia. I. PER SE inimicos diligere debemus dilectione communis, tam externe quam interne, non vero speciali.** Ratio est, quia nuspiciam praeceptum exsistit inimicos magis diligendi quam alios homines. Specialis dilectio nonnisi consilium est et perfectio. (n. 28. S. Th. 2. 2. qu. 25. a. 8 et 9.)

Haec autem dilectio communis postulat: 1º *interne*, ut quis inimicis malum non velit, de eorum infortunio non laetetur, eos ab oratione, quas pro omnibus fundit, non excludat etc.; — 2º *externe*, ut signa communia dilectionis eis exhibeat. Communia dilectionis signa ea sunt, quae Christiano a quovis Christiano debentur promiscue, civi a concive, cognato a cognato. Unde per se graviter peccaret, qui signa communia, non semel et iterum, sed compluries et obstinate negaret; v. g. qui merces omnibus expositas nollet inimico vendere, ipsi alloquenti non responderet, ipsum salutantem non resalutaret, pluribus occurrentis omnes salutaret inimico

excepto, inimici occursum declinaret ipso advertente id sui causa fieri et ideo graviter sentiente. Nemo autem per se tenetur inimicum, si aegrotat invisere; si maestus est, consolari; excipere hospitio; vel familiariter cum eo tractare. (n. 28.)

II. PER ACCIDENS *autem quoad dilectionem externam*: 1º Possumus nonnumquam *communia* dilectionis signa omittere erga inimicum, scilicet quando vel charitas vel iustitia eam omissionem suadet, aut iusta causa eamdem excusat.

a) *Charitas* suadet, si spes sit fore ut inimicus exinde ad meliorem frugem se recipiat; si timor subsit ne signa dilectionis male sit interpretaturus; si ex colloquio novum iurgium metuendum sit. — b) *Iustitia* suadet, si fiat ob iustum punitionem et emendationem subditorum; unde potest paterfamilias, ob delictum infame filii, ob indignas nuptias cum dedecore familiae ab eo celebratas, denegare filio aspectum, alloquium, ingressum domus, imo familiae suae principere ne consuetudinem cum eo habeant, idque etiam si filius veniam petierit; dummodo tamen poena non excedat mensuram delicti, et propterea non nisi ad breve tempus infligatur, quounque videtur ad emendationem expedire. — c) *Iusta causa* excusat, si quis post gravem offensam acceptam, per aliquot dies ea omitteret, non ex odio, sed ad iustum dolorem significandum; item si alter signis dilectionis, etiam repetitis, non respondeat.

2º Tenemur quandoque *specialia* dilectionis signa inimico exhibere, nimirum in illis circumstantiis, in quibus illa cuique proximo debita sunt vel in quibus specialium signorum omissio evaderet specialis odii significatio.

Huiusmodi casus sunt: a) si ex eorum omissione scandalum sequeretur; e. g. si quis solitus esset aliquem salutare, quem post contractam publicam inimicitiam non salutat, non alloquitur, non visitat, ut antea faciebat; inde sine dubio scandalum oriretur et inimicitia obfirmaretur. b) Si ex signis peculiaribus speraretur salus spiritualis inimici, ita ut odium deponeret. c) Si urgeret inimici necessitas spiritualis vel temporalis: tunc enim subveniendum est. d) Si inimicus veniam peteret, amice salutaret, alloqueretur, etc. (n. 28.)

### 346. — Quaestio. *An sit obligatio inimicum obvium salutandi.*

*Resp. Negat.*, regulariter loquendo: quia salutatio non est signum commune. Aliquando vero est obligatio; puta si quis antea solebat salutare; si, occurrentibus tribus, inter quos est inimicus, duos salutaret, tunc sane inimicum præterire non licet; vel etiam si inimicum salutando posset sine magno incommodo eum pacare. (n. 28.)

*Nota pro praxi.* Negatio colloquii inter religiosos aut moniales eiusdem domus, si fiat per notabile tempus, et causa rixae vel ipsa rixa gravis fuerit, merito praesumitur ab odio gravi proficiisci. Ideo, si talis deinde post unam alteramve hebdomadem adhuc recusaret colloqui, non esset absolvendus. Secus vero, si causa rixae ipsaque rixa levis fuerit, aut omissio per breve tempus. (n. 28. Spor. n. 34.)

## § III. - RECONCILIATIO CUM INIMICO.

347. — *Principia. I. OFFENSOR tenetur quamprimum consecari reconciliationem offensi, quantum moraliter potest.* Ratio est, quia iustitia id postulat, et constat ex Matth. v. 23, 24, ubi Christus eam praecipit offensori priusquam munus suum offerat ad altare. Debet igitur vel veniam petere, per seipsum sive per alium, vel alio medio apto pacem componere cum offenso.

*Dictum est: quantum moraliter potest:* non enim tenetur: 1º cum gravi incommodo, aut graviori quam offensa mereatur; 2º si laesus est absens nec facile conveniri potest; 3º si prudenter praesumitur oblatae reconciliationis aut satisfactioni alterum assensurum non esse.

II. *Si MUTUA est offensio, ille, qui GRAVIUS offendit, reconciliationem inchoare debet; si est fere aequalis offensio, tenetur qui PRIOR offendit.* Quodsi de hisce non constat, utriusque adaeque incumbit reconciliationem inchoare. Ceterum in praxi cuique a confessario suadendum est ut reconciliationem quaerat, ideoque ut saltem incipiat salutare, vel per alios reconciliationem proponere; non enim rigide ordini supra dicto instandum est.

III. *OFFENSUS tenetur pacem componere cum inimico, quando hic competentem satisfactionem opportuno tempore offert.* Ratio est, quia tunc irrationalibilis esset negatio pacis foretque aperta odii retenti demonstratio. — *Dixi: opportuno tempore:* quia non tenetur statim post acceptam offensam, nondum sedata animi perturbatione; id enim esset res violenta et supra fragilitatem humanam; propterea licet tempus opportunum exspectare, et interea sufficit odium deponere. (n. 29.)

Porro post reconciliationem et offensae condonationem intima quaedam familiaritas, etsi antea exstiterit, non est ex obligatione redintegranda.

## CAPUT IV.

## ORDO SERVANDUS IN CHARITATE PROXIMI

348. — *Charitas, uti n. 338 dictum est, varia habet obiecta materialia, sc. Deum, nosmetipsos et proximum.* Secundum quod autem diligens diversimode se habet ad varia obiecta, ordo aliquis in charitate exsurgit, in quantum unum p[re]a altero diligitor. Iamvero, videndum est quinam ordo a recta ratione postuletur. Liquet autem Deum super omnia amandum esse; quare tantum inquirendus est: 1º ordo charitatis, si comparantur habitudines diligentis ad seipsum et ad proximum (art. I.); 2º ordo charitatis, si comparantur habitudines ad varios proximos (art. II.) Deinde autem dicetur de obligatione ordinem servandi (art. III.)

*Articulus I.***Ordo charitatis inter diligentem et proximum.**

**349. — Praenotanda.** Cum hic ordo fundetur in diversa necessitate bonorum in qua diligens eiusque proximus versantur, necessarium est quaedam praenotari de distinctione necessitatum et bonorum.

Necessitas, sive spiritualis sive temporalis, triplex est: 1<sup>o</sup> *extrema*, quando summum bonum (vita temporalis vel salus aeterna) summo gradu pericitatur, ita ut quis sine alterius auxilio saltem *moraliter certo* mortem temporalem vel damnationem aeternam evadere non possit. Ad eam reducitur *quasi-extrema* necessitas, in qua aut de bono tali agitur quod proxime ad summum bonum accedit, uti mutilatio membra, perpetuus morbus, perpetuus carcer; aut de summo quidem bono agitur sed quod non nisi *difficulter* sine alterius auxilio evadi possit; 2<sup>o</sup> *gravis*, quando agitur de re gravi in gravi et multo magis in summo discrimine constituta, ita ut saltem probabiliter sine alterius auxilio grave damnum, temporale vel spirituale, evitari nequeat, v. g. diuturnus carcer, gravis iactura bonorum, infamia, lapsus in peccatum mortale; 3<sup>o</sup> *levis seu communis*, quando quis sibi providere potest sine magna difficultate; in hac versantur vulgares peccatores et mendici. Unaquaque iterum necessitas est vel alicuius Communitatis, vel cuiusdam personae privatae (n. 27. 31. Lib. 3. n. 520. H. A. n. 18.)

Bona quoque triplicis sunt generis: 1<sup>o</sup> *spiritualia*, ut salus aeterna, gratia sanctificans et virtutes; 2<sup>o</sup> *corporalia*, scil. vita, integritas et sanitas corporis; 3<sup>o</sup> *externa*, nempe fama, honor et dvitiae. Hinc, attento bonorum ordine, *necessitas quoque alia est spiritualis, alia temporalis*.

Praeterea distinguendum est inter bona ad vitam animae vel corporis *necessaria*, et *non necessaria*.

**350. — Regulae generales. I.** *In EODEM GENERE BONORUM tenetur quisque ceteris paribus seipsum magis diligere, quam proximum.* Ratio est, quia Deus posuit dilectionem suiipsius tamquam regulam et normam dilectionis proximi. (n. 25.)

Hinc: 1<sup>o</sup> Non licet ne venialiter quidem peccare pro salute spirituali proximi, imo nec pro salute totius mundi. (n. 26.)

2<sup>o</sup> Per se loquendo, non licet propriam vitam exponere pro vita alterius; sic enim diligeret proximum plus quam seipsum, quod regulam excedit. Ex motivo tamen virtutis licitum est et laudabile, e. g. ex motivo amicitiae, pietatis, gratitudinis, etc.; quin etiam, si fiat ex motivo charitatis, opus virtutis est heroicum; constat ex Joan. xv. 13: « Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis; » ratio autem est, quia tunc bonum virtutis praefertur bono corporis. Excipe tamen, si ille, qui vitam exponit, necessarius sit Reipublicae aut familiae. (n. 27. Lib. 3. n. 366.)

**II.** *In diverso genere bonorum quisque tenetur ceteris paribus magis diligere proximum in bonis spiritualibus, quam seipsum in temporalibus.* Ratio est quia charitas inclinat ad amanda bona spiritualia magis quam temporalia, cum illa sint maius bonum; ergo etiam ad id obligabit. (n. 25.)

**351.** — Regulae speciales quoad necessitatem spiritualem proximi. I. *In extrema necessitate spirituali proximi quisque debet ei subvenire etiam cum certo periculo vitae, dummodo aequa certa sit spes salvandi proximum, et alius praesto non sit, qui opem latus est, neque gravius inde malum immineat.* Constat ex I Joan. III. 16: « In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere; » quod sine dubio tum obligat sub gravi, cum aeterna salus proximi in summo versatur periculo. (n. 27.) In quasi-extrema necessitate subveniendum est cum *probabili* periculo vitae. (H. A. tr. 4.) (n. 14; tr. 16. n. 125.)

Hinc: 1º Necessitas infantis, qui morti proximus indiget Baptismo, est extrema, ideoque obligat ad Baptismum ei conferendum cum certo periculo vitae; *non enim* infans ab illa necessitate se liberare potest. (n. 27.) Excipe tamen si ob raritatem sacerdotum bonum commune postularet ne missionarius v. g. vitam suam nimis exponeret pro uno solo *infante* baptizando. Cfr. Vermeersch. *Op. mor.* II. n. 97.

2º Extrema est necessitas moribundi, sensibus destituti et in statu peccati mortalis, quatenus sacramento Extremae Unctionis et hoc solo iuvari potest, si attritionis actum forsitan antea elicuerit; cfr. *tom.* II. n. 26 et 542.

3º Quasi-extrema pariter est necessitas moribundi, qui vixit in habitu peccandi, et adeo rudis est ut nesciat actum contritionis elicere; urget ergo obligatio impertiendi ei absolutionem, etiam cum periculo vitae Sacerdotis absolventis. (n. 27.)

4º Illi contra in extrema necessitate non sunt, qui sua sponte se exponunt damnationis periculo, e. g. qui duellum suscipiunt, innocentem vitam aggrediuntur, nocte domum infringunt, seipso suspendunt aut submergunt.

**II.** *In gravi necessitate spirituali proximi, non urget obligatio subveniendi illi cum periculo vitae aut cum gravi damno temporali; nisi specialis ratio muneris aut boni communis accedat.* Ratio est quia ex necessitate gravi spirituali potest proximus ipse se eripere, etsi cum difficultate; quare potius ipse, quam alter, difficultatem subire debet.

Dictum est autem: 1º *nisi accedat ratio muneris:* nam pastores animorum, et Episcopi et parochi, tenentur etiam cum periculo vitae succurrere subditis in *gravi* necessitate spirituali constitutis; tum propter officium tum propter stipendium, quod recipiunt: alii vero Superiores quibus ex officio incumbit cura spiritualis aliorum tenentur cum periculo notabilis damni, sed non vitae; — 2º *nisi accedat ratio boni communis:* nimis si Communitas in *gravi* necessitate spirituali constituta sit, ei succurrendum est etiam cum periculo vitae; tum quia commune bonum spirituale prae-

ponderat bono vitae alicuius privati; tum quia in tali casu plures erunt in necessitate extrema, qui singulatim non praenosuntur. Requiritur tamen in praefatis casibus, ut iactura illa proximo necessaria sit, et auxilium profuturum. (n. 27. 39. 40.)

Hinc: 1º Quisquis potest cum spe fructus, tenetur cum periculo vitae impedire praedicatorem pravam doctrinam in populo disseminantem, ex qua plures pervertendi sunt. (n. 27.)

2º Tenetur quisvis sacerdos cum periculo vitae Sacraenta ministrare populo in persecutione, et moribundis tempore pestilentiae, si alius non sit qui administret. Satis est tamen ministrare Sacraenta necessaria, puta Baptismum et Poenitentiam. (n. 27.)

3º In gravi necessitate spirituali subditorum suorum tenentur pastores animarum cum periculo vitae ministrare eis Sacraenta aliaque spiritualia subsidia ad salutem aeternam necessaria. Neque possunt tempore pestilentiae oves suas deserere, aut renuntiare beneficio suo: nisi adsint alii, qui eorum vices suppleant: docet enim Christus apud Joan. x. 11: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. » Ad haec pastores tenentur, etiam cum notabili detimento temporali, subditis suis procurare magnum emolumentum spirituale, e. g. Missionem debito tempore. (n. 27.)

4º Pastores tenentur non solum subvenire *occurrenti* ne essitati spirituali subditorum suorum, verum etiam diligenter *inquirere* num illa laborent, oves perditas praesertim, quantum possunt, ad Deum reducere; quae obligatio non exstat in aliis non habentibus tale vinculum. *Ita communiter.*

5º Nemo in individuo *tenetur* proficiisci in terras infidelium quamvis sint in gravi vel etiam in extrema necessitate; quum eventus sit incertus et alii sint qui subveniant, imo Ecclesia de ipsis provideat et providere debeat, atque insuper etiam pro fidelibus et in propria patria Sacerdotes necessarii sint. Cfr. supra n. 315-bis; S. Alf. Corr. gen. I. ep. XVII. p. 40; Vermeersch. n. 101.

III. *In LEVI NECESSITATE SPIRITALI obligatio succurrendi non existit nisi quis commode subvenire possit.* Ratio est, quia ex tali necessitate proximus ipse se facile eripere potest; ergo non opus est ut alius incommodum subeat.

352. — NOTANDA. 1º Per se loquendo, potest quis privare seipsum bonis spiritualibus quae tantum sunt de consilio, propter bonum proximi spirituale, imo propter bonum eius temporale, e. g. omittere ingressum in Religionem ad alendos parentes suos vel filios. (n. 26.)

2º Licet quoque ob salutem spiritualem proximi se exponere periculo probabili peccandi, dummodo quis debitum praesidiis se muniatur; quia qui ex gravi causa periculo se obiicit, invitus illud subit. Imo oportet se exponere, si proximus est in extrema necessitate. (n. 26. Lib. 5. n. 63. Lib. 6. n. 453.)

353. — Regulae speciales quoad necessitatem temporalem proximi. — I. *In EXTREMA NECESSITATE TEMPORALI habetur obligatio succurrendi cum gravi incommodo, non autem cum periculo vitae, aut alio praegravido damno.*

Ratio prioris, quia vita proximi praevalet incommodo tali minoris ordinis; ratio alterius quia nemo tenetur diligere alterum plus quam seipsum; hinc neque tenetur vitam propriam dare pro vita proximi, neque etiam praegrave subire incommodum quod neque pro propria vita subire tenetur.  
— Excipe si intervenit necessitas boni communis. Cfr. infra n. 566. I, 572. qu. 3.

II. *In GRAVI NECESSITATE TEMPORALI succurrendum est, si fieri potest cum levi incommodo.* Ratio est, quia gravis necessitas proximi praeponderat levi iacturae alterius.

III. *In LEVI NECESSITATE TEMPORALI obligatio succurrendi non existit nisi commode fieri possit.* Ratio est, quia obligatio subveniendi proximo cum iactura propria ob quamcumque proximi necessitatem onus permolestum foret. n. 27.)

### *Articulus II.*

#### *Ordo charitatis inter varios proximos.*

354. — Praenotandum. CONIUNCTIO PERSONARUM est triplex: 1º *carnalis* inter consanguineos et inter affines; 2º *spiritualis* inter omnes fideles; inter Religiosos eiusdem Ordinis; inter Pastores et oves spirituales, inter confessarium et poenitentes, inter subditos et Superiores spirituales, etc.; 3º *humana et civilis*, ut est erga benefactores, inter subditos et Superiores civiles, inter amicos, socios, concives.

355. — *Principia. I. Inter proximos alii aliis magis diligendi sunt ex charitate, tum affectu interno tum affectu externo.* Ratio est, quia, cum duo sint principia dilectionis, unum ipse diligens, alterum Deus, qui est obiectum formale seu proprium charitatis, ideo quo propiores aliqui erunt hisce principiis, eo magis erunt diligendi. Quidam autem proximi magis coniuncti sunt ipsi diligentibus, i. e. cognati, et quidam magis coniuncti sunt Deo per gratiam, quia sanctiores sunt. Ergo. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 26. a. 6.

II. *Quantum ad amorem COMPLACENTIAE debemus sanctiores prae ceteris diligere:* quia sunt magis coniuncti cum Deo, qui est obiectum primarium charitatis. Propterea gaudere debemus de gratia et de gloria, quam possident.

III. *Quantum ad amorem BENEFICIENTIAE ordo non sumitur ex sanctitate, sed ex necessitate proximi eiusque coniunctione cum diligente.* Qua de sequentes regulae statuuntur.

356. — *Regulæ generales quoad amorem beneficentiae. I. Regulariter loquendo, in subventione proximi MAIOR NECESSITAS praferenda est coniunctioni.* Ratio est, quia, ut patet hactenus dictis, obligatio huius praecepti quantum ad actum externum imprimis pendet ex necessitate; ergo, ubi maior est necessitas, ibi maior etiam erit succurrendi obligatio.

Ideo: 1º Magis subveniendum est patienti necessitatem spiritualem, quam patienti corporalem; quia illa maior est.

2º Si necessitas maior est in extraneo quam in coniuncto, per se loquendo magis subveniendum est illi, quam huic; nisi tantus esset coniunctionis excessus, ut compensaret parvum excessum necessitatis.

II. *Ceteris paribus, illi, qui sunt nobis MAGIS CONIUNCTI, ex charitate praeferendi sunt.* Ratio est, quia et intensiori affectu, et pluribus titulis diliguntur; ad eos enim, qui non sunt nobis coniunctis, non habemus nisi amicitiam charitatis; ad eos vero, qui sunt nobis coniuncti, habemus aliquas alias amicitias secundum modum coniunctionis eorum ad nos. Charitas autem imperat actui cuiuslibet honestae amicitiae. Ita S. Thom. loc. cit. a. 7.

III. *Qui nobis coniunctiores sunt, aliis praeferri debent SECUNDUM EA BONA, in quibus coniunctio fundatur.* Ratio est, quia quaevis coniunctio fundatur in aliqua bonorum communicatione, unde in rebus ad illam pertinentibus praeferendi sunt singuli coniuncti. Ita S. Thomas. loc. cit. a. 7.

Ideo in iis, quae ad naturam pertinent, praeferendi sunt consanguinei et affines: in iis, quae ad civilem conversationem spectant, debemus concives praeferre; et ita in aliis. (n. 27.)

**357. — Regulae speciales quoad amorem beneficentiae inter diversos coniuctos.**  
**I. Inter coniuctos DIVERSAE SPECIEI coniunctio CARNALIS IN PRIMO GRADU ceteris coniunctionibus praeferenda est,** non solum in necessitatibus temporalibus, verum etiam in spiritualibus. Ratio est, quia fundatur in natura, et ideo prior est ac immutabilior, maioribusque beneficiis homo illi obligatus est: coniunctio autem spiritualis, cum fundetur in gratia, quae facile amitti potest per peccatum, minus firma est; denique coniunctio parentum et filiorum fundatur non in bonis corporis tantum, verum etiam in bonis animae.

Hinc: 1º Potius subveniendum est patri carnali quam spirituali; filio carnali potius quam spirituali; fratri carnali magis quam spirituali.

2º Parentes et filii, coniux, fratres et sorores, praeferendi sunt quibuscumque amicis et benefactoribus. Et quamvis illi, si coniunctionis iura laeserint, iuxta aliquos Doctores postponi possint amicis et benefactoribus, non est tamen id faciendi obligatio, cum possit eis remitti iniuria.

**II. Inter coniuctos DIVERSAE SPECIEI in REMOTIORIBUS GRADIBUS non semper praeferenda est coniunctio carnalis;** nam saepe beneficentia et amicitia tam intima esse potest ac eximia, ut carnis coniunctionem supereret.

**III. Inter coniuctos EIUSDEM SPECIEI, i. e. inter propinquos, si cetera paria sunt, providendum est:** 1º coniugi suae, quacum est una caro; 2º filiis, quippe quibus iure naturali parentes plus teneantur providere, quam filii parentibus; 3º parentibus, et patri praemate, quia pater excellentiorem principii rationem habet; 4º fratribus et sororibus; 5º aliis consanguineis et affinibus.

In extrema necessitate parentes omnibus praeferendi sunt; quia cum nobis existendi causa fuerint, iustum est ut tantumdem illis rependamus. (n. 27. Lib. 6. n. 939. dub. 2 in fine. H. A. n. 15.)

Dicendum denique, personam publicam, publico bono necessariam, ut Prin-  
cepem, Pastorem, praferendam esse cuicunque personae privatae; quia vices  
Communitatis sustinet; bonum autem Communitatis praeponendum est bono  
privato.

### *Articulus III.*

#### *Obligatio ordinem servandi.*

358. — *Principia.* I. *Charitas PRAECIPIT ordinem servare in dilectione et subventione proximorum.* Coniunctio enim et indigentia hominum inaequales sunt; proportio autem dilectionis ad diligibile necessaria est; ergo ordo requiritur.<sup>1)</sup> — Hic ordo intelligendus est de amore *debito*, non de amore ex consilio; in hoc enim quicumque ordo servatur, nulli fit iniuria.

II. *Inversio ordinis quantum ad NECESSITATEM, si de gravi vel extrema necessitate agatur, grave peccatum continet:* quia charitatem in gravi materia laedit.

III. *Inversio ordinis quantum ad CONIUNCTIONEM PERSONARUM, grave peccatum est, si notabilis est excessus:* e. g. si in materia gravi extranei vel remote coniuncti praferantur proxime coniunctis, si benefactor, qui magna contulit beneficia, in necessitate sua postponatur. Leve peccatum est, si exiguis est excessus: e. g. inter proxime coniuctos, ut inter parentes, coniugem et filios, inter quos neque aperte constat quis revera praeponendus sit.

### CAPUT V.

## OPERA CHARITATIS PROXIMI

359. — *Praecipuus actus a charitate elicitus est dilectio;* ex hac profluunt effectus consequentes hunc principalem charitatis actum, tam interiores quam exteriores; quorum effectuum alii sunt actus ab ipsa charitate eliciti, alii autem actus virtutis specialis a charitate imperati. Interiores charitatis effectus sunt gaudium, pax et misericordia.

*Praecipuus effectus externus charitatis est beneficentia.* Haec, quando respicit alterius miseriam sive temporalem sive spiritualem, quam quis sublevare intendit, est actus *misericordiae*, a charitate imperatus. Opus autem misericordiae, quae a Graecis eleemosyna dicitur, a S. Thoma<sup>2)</sup> definitur: *Opus, quo datur aliquid indigenti ex compassionē propter Deum.* Additur: *propter Deum;* quia sermo est de operibus misericordiae quatenus a charitate Dei imperantur. Quum porro homo et in corpore et in anima

<sup>1)</sup> S. Thom. 2. 2. qu. 26. a. 1, et qu. 44. a. 8.

<sup>2)</sup> 2. 2. qu. 32. a. 1.

miserias pati possit, ideo opera misericordiae in *corporalia* et *spiritualia* dividuntur.

Utriusque speciei septem numerantur, utpote praecipua. Opera misericordiae *corporalia* sunt: cibare esurientes, refocillare sitientes, vestire nudos, excipere peregrinos, visitare infirmos, redimere captivos, et sepelire mortuos. Opera misericordiae *spiritualia* sunt: docere ignorantes, consulere dubitantibus, consolari moestos, corriger peccantes, remittere offenditoribus, tolerare molestos, et orare pro vivis et defunctis.

Haec quidem opera tam corporalia quam spiritualia variis modis exerceri possunt, idque sive a singulis individuis seorsim sumptis et quasi privatim sive etiam cooperatio multorum. Quae quidem cooperatio ab antiquissimis temporibus in Ecclesia exercita, nostris diebus specialiter necessaria est. Forma quaedam specialis sub nomine *actionis catholicae* tamquam apostolatus quidam laicorum pro necessitatibus spiritualibus, sub nomine *actionis socialis* pro necessitatibus potius temporalibus ab ipsa etiam Ecclesia valde promovetur.<sup>1)</sup> Ad actionem catholicam pertinet etiam cooperatio ad fidem inter gentes propagandam.

Quamvis omnis sublevatio alienae miseriae *eleemosyna* sit, hoc nomine tamen passim designari solent opera misericordiae corporalia: deinde inter spiritualia *correptione fraterna* habet sola speciales difficultates; idcirco de his duabus pertractabimus; adiungendo, ob rei momentum, tertium articulum *de Actione Catholica*.

### *Articulus I.*

#### *Eleemosyna.*

360. — **Praenotamen.** Ad rectam intelligentiam praecepti eleemosynae quaedam praenotanda sunt de divisione bonorum temporalium, e quibus eleemosyna largitur. Etenim bona possessa alia sunt *necessaria*, alia *superflua*.

*Necessaria* dicuntur ea sine quibus vita vel status domini eiusve familiae aut omnino non aut non ita bene conservari possunt. Hinc ad conservationem status non solum pertinent ea, sine quibus quis a statu suo descendere cogeretur (transeundo v. g. a vita nobili ad exercendam artem, vel diminuendo famulatum, liberalem hospitum exceptionem, filiorum educationem atque provisionem); verum etiam ea quae *decentiae* status inserviunt, ut est moderata quaedam de casibus fortuitis provisio, imo etiam moderata quaedam ad statum altiorem adspiratio. *Superflua* consequenter sunt quae domino nullo modo, neque sibi neque familiae suae, ne ad decentiam quidem status servandam, necessaria vel utilia sunt, seu, ut ait Enc. *Quad. anno*, « quibus ad vitam convenienter atque decore sustentandam non eget homo »<sup>2)</sup> (n. 31. 32.)

361. — **Principia. I.** *Est praeceptum divinum, tum naturale tum positivum, idque grave ex genere suo, largiendi eleemosynam.* Naturale quidem,

<sup>1)</sup> Praecipua documenta pontificia circa actionem *socialem* sunt: *Leonis XIII Encycl. Rerum novarum* 15 Maii 1891 (*Acta Leonis XIII tom. 11. p. 97.*), Encycl. *Graves de communi re* 18 Ian. 1901 (*l. c. tom. 21. p. 3.*); *Pii X Motu proprio* 18 Dec. 1903 (*Acta Pii X tom. I. p. 117.*), Encycl. *Il fermo proposito* 11 Junii 1905 (*l. c. tom. II. p. 112.*) Epist. *Notre charge apostolique* 25 Augusti 1910 (*A. A. S. 1910. p. 607.*), Encycl. *Singulari quadam* 24 Sept. 1912 (*A. A. S. 1912. p. 657.*); *Benedicti XV Encycl. Ad beatissimam* 1 Nov. 1914 (*A. A. S. 1914. p. 565.*), Epist. ad Episc. Bergam. 11 Martii 1920 (*A. A. S. 1920. p. 109.*); *Pii XI Encycl. Ubi arcano* 23 Dec. 1922 (*A. A. S. 1922. p. 673.*), *Resp. S. C. Conc.* 5 Iunii 1929 (*A. A. S. 1929. p. 494.*), Encycl. *Quadr. an. 15 Maii* 1931 (*A. A. S. p. 177.*) Circa actionem *catholicam* cfr. infra n. 372 bis.

<sup>2)</sup> *A. A. S. 1931. p. 194.*

quia dilectio proximi postulat ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur, atque ideo ut eius necessitati subveniamus. Positum patet ex Matth. xxv. 41-46, ubi multi dicuntur damnandi ob omissionem eleemosynae; et in I Joan. III. 17 dicitur non consistere charitatem Dei cum neglectu eleemosynae. Est autem praeceptum grave, quia est praeceptum charitatis; omne autem praeceptum charitatis natura sua grave est quia ordinat hominem in ultimum finem. (1. 2. qu. 88. a. 2.)

II. *Obligatio huius praecepti dependet et dimetienda est ex NECESSITATE PROXIMI et FACULTATE PROPRIA.* Constat ex dictis de ordine charitatis, et luculenter patet ex I Joan. III. 17: « Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauderit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? » (n. 31.)

Hoc principium in regulis, quae sequuntur, magis explicabitur. Nota autem: 1º *praeceptum non urgere, si alius appareat in promptu qui proximo subveniat;* nam, si alius auxilium latus est, auxilium tuum non erit necessarium (2. 2. qu. 32. a. 5. ad 3.); — 2º *non esse obligationem INQUIRENDI egenos, ut eis subveniatur,* sed sufficere paratum esse ad subveniendum egeno occurrenti. Si quis tamen dubitaret de extrema alicuius indigentia, teneretur veritatem inquirere.

363. — *Regulæ speciales.* I. *Ex bonis NECESSARIIS VITAE non exstat praeceptum largiendi eleemosynam.* Ratio est, quia suam suorumque vitam et incolumitatem quisque potest, imo debet, alienae vitae et incolumitati anteponere; excepto casu quo bonum commune aliter exposceret, secundum dicta n. 357 in fine. (n. 31.)

II. *Ex bonis NECESSARIIS STATUI, sub gravi tenemur subvenire proximo nostro in EXTREMA eius necessitate, modo id fieri possit sine ingenti damno.* Multo magis ad id tenemur ex bonis superfluis. Ratio est, quia ordine charitatis vita proximi potior est decenti statu proprio. - Nemo autem tenetur ingentem pecuniam erogare aut magni pretii remedia procurare ad alterius vitam servandam; ad id enim neque ad propriam vitam servandam tenetur. (n. 31.)

Notandum porro est, gravem necessitatem publicam aequivalere extremae necessitati privatae, uti advertit Cardenas, *disp.* 80. n. 15.

III. *Ex bonis SUPERFLUIS debemus largiri eleemosynam ex obligatione gravi in GRAVI necessitate proximi; ex obligatione saltem levi in ORDINARIIS necessitatibus eius.* Constat quoad priorem partem ex Luc. XI. 41: « Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis; <sup>1)</sup> » insuper ex I Tim. VI. 17-18, et ex I Joan. III. (n. 31. H. A. n. 19.) — Constat quoad alteram ex eo quod Scriptura indistincte loquitur de necessitate proximi, et charitas urget nos ut, cum facile possumus, pauperum necessitates sublevemus. Ex quibus sequitur aliquam obligationem, saltem

<sup>1)</sup> S. Patres et antiqui theologi saepe hunc locum allegant, sed attento textu originali haec verba pottus significant non tam externe vasa esse purificanda, ut Pharisaei faciebant, sed corda interna purificatione indigere, quod fit dando in eleemosynam id quod in vasis invenitur, cibum scil. et potum.

levem, certo admittendam esse; imo cum S. Alfonso videtur tenendum adesse obligationem gravem: de quo cfr. infra n. 364. qu. 1.

363. — *Resolutiones.* 1º Non solum pauperes fideles et pii, sed etiam peccatores, infideles, peregrini sublevandi sunt; charitas enim omnes homines completitur. Nihilominus in pari necessitate fideles, pii, cives, omnesque magis coniuncti prae ceteris iuvandi sunt. (n. 32.)

2º Graviter peccarent divites, qui eleemosynam non erogarent pauperibus, eo motivo ducti quod saeculares vix umquam habeant superfluum statui; nam damnata est ab Innoc. XI prop. 12: «Vix in saecularibus invenies, etiam in rebus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui».

3º Medici et chirurghi tenentur operam suam gratis praestare pauperibus ea indigentibus, advocati tenentur gratis suscipere patrocinium pauperum, aliique similes in officio constituti debent pauperibus gratis succurrere, cum absque suo detrimento possunt. Excipe casum, quo publicis sumptibus provisum sit pauperibus. Quanta vero sit obligatio, quantum laboris iis impendendum sit, pendet a gravitate necessitatis, in qua pauper versatur, et ab incommodo, quod opem laturo creatur.

4º Non est eleemosyna iis pauperibus tribuenda, qui ex pigritia egent, eo quod laborare nolint et vagari malint, ne eorum pigritia et otiositas foveatur. (n. 32.)

5º Ut plurimum non est gravis obligatio eleemosynam largiendi pauperibus in publicis viis mendicantibus, qui nuditate, vestium squalore, membrorum defectu, acrem egestatem prae se ferunt; solent enim, ad movendos spectatores, hisce mediis miseriam suam exaggerare. (n. 32.)

6º Prohibitio mendicandi, facta a magistratu civili in quibusdam civitatibus, non eximit a pracepto eleemosynae; quia non desunt alia media pauperibus subveniendi. Ceterum talis prohibitio non obligat in conscientia, nam pauperes ius habent sibi necessaria comparandi petendo eleemosynam; damnandus tamen non est magistratus, si iusta de causa a civitate sua pauperes peregrinos excludat. (n. 32.)

364. — *Quaestiones. QUAER.* 1º *An obligatio dandi eleemosynam in COMMUNIBUS pauperum necessitatibus sit obligatio GRAVIS.*

*Resp. Controv.* 1ª Sententia negat; quia obligatio eleemosynae non oritur ex superfluitate bonorum, sed ex necessitate proximi; pauperum autem communis miseria solet levis et tolerabilis esse; ergo auxilium eis denegare non videtur culpa gravis.

2ª Sententia probabilius et communior, cui adhaeret S. Alfonsus, affirmat; probatur: 1º ex S. Scriptura, quae absolute loquitur, ut supra ostendimus; 2º ex ratione; nam rerum divisio iure naturae introducta nequit esse in grave praeiudicium pauperum; atqui, si divites absolutam non haberent obligationem gravem subveniendi ordinariis mendicis, possent isti ab omnibus in necessitate sua derelinqui, quod sane cederet in grave eorum praeiudicium; ergo gravis est obligatio. Ita etiam Berardi II. n. 140; Prümmer I. n. 594; Merkelbach I. n. 931.

Quum porro ad peccatum mortale gravis materia postuletur, divites tunc censendi sunt graviter deficere, cum communem necessitatem patientibus vel

nullam vel nimis modicam eleemosynam largiri solent. Nihilominus confessarius non sit praeceps in absolutione propter hanc causam diviti neganda: quia non facile patebit poenitentem formalis peccati mortalis reum esse. (n. 32. Vind. Alph. part. 2. qu. 4.)

QUAER. 2º QUANTA eleemosyna largienda sit pauperibus.

Resp. 1º In gravi vel extrema necessitate tantum erogandum est, quantum sufficit ad eam necessitatem pro tempore levandam. Intellige semper cum ea restrictione, quod id fieri possit sine ingenti damno, iuxta dicta n. 362. II.

2s In communib[us] necessitatibus non tenetur dives eleemosynam omnibus pauperibus occurrentibus dare, sed aliquando tantum; neque totum superfluum, sed partem dumtaxat; praeceptum enim non obligat singulos divites in solidum, sed omnes communiter pro rata parte, ita ut, si singuli ex parte contribuant, communibus necessitatibus satis provideatur. Unde iuxta S. Alfonsum aliosque generatim loquendo probabiliter obligationi satisfaciunt divites, si ex superfluo annuo quinquagesimam saltem partem seu 2 % erogent; sed in minori proportione, si ingentes essent annui reditus. (n. 32. H. A. n. 19.)

Haec autem norma videtur potius intenta de eleemosynis manualibus, pauperibus unius loci tribuendis; quatenus si ditissimi ibi hoc sensu quotam etiam minorem largiuntur, generatim sufficienter communibus necessitatibus pauperum istius loci provisum erit.

Si vero eleemosynam sumamus pro complexu quarumvis subventionum quae quovis modo sive immediate sive mediate quibusvis pauperibus elargiendae sint, tunc, nostris temporibus, quota multo maior eaque tanto maior, quanto pinguiores sunt reditus, statuenda videtur. Cfr. Vermeersch. II. n. 108.

QUAER. 3º An satisfiat pracepto largiendi eleemosynam, si indigenti aliquid mutuum vel commodatum detur, vel vendatur dilata solutione.

Resp., Dist. Affirm., si proximus indiget solo usu rei, vel si indiget ipsa re, sed tunc tantum, cum alibi bona habeat vel postmodum exspectet; quia tunc non est simpliciter indigens, atque ideo neque adest obligatio simpliciter dandi.

Negat., si proximus simpliciter pauper est; quia tunc urget praeceptum eleemosynae; eleemosyna autem ex S. Scriptura et SS. Patribus denotat donationem absolutam; ergo dandum est gratis. (Lib. 3. n. 520. qu. 5.)

### SCHOLION

#### *De recto usu bonorum superflorum.<sup>1)</sup>*

Quamvis uti ex supradictis patet non cuncta superflua in eleemosynas impendenda sint ita ut in indigentium dominium transeant, nihilominus attento charactere etiam sociali dominii privati, non tantum ex charitate verum etiam ex iustitia sociali aliquo modo in aliorum utilitatem cedere debent. Domino enim iam nullo modo vere utilia esse possunt utpote ei superflua; dum per eorum cumulationem disproportionio illa socialis in bonorum distributione obfirmatur quam testante etiam Enc. Quadragesimo anno ingens multitudo proletariorum ex una, quorumdam praedivitum ingentissimae opes ex altera parte, aperte demonstrant etsi proprie dictus pauperismus diminutus sit.<sup>2)</sup> Quoad modum vero

<sup>1)</sup> Cfr. Damen, C. SS. R. *de recto usu bonorum superflorum* in *Miscellanea Vermeersch*. 1935. I. p. 63-79.

<sup>2)</sup> Cfr. A. A. S. 1931. p. 198.

quo superflua cuncta in aliorum bonum cedere debeant, id prudentia quaedam socialis ex locorum et temporum adiunctis discernat oportet. Postquam debita pars iuxta dicta supra in varia opera misericordiae pro bono spirituali et temporali proximi, ergo etiam in bonum Ecclesiae eiusque extensionis impensa fuerit, cetera servatis legibus et tributis socialibus adhibenda sunt in talia opera quibus etsi cum emolumento proprio, etiam aequae bonorum distributioni favetur; concurrendo etiam pro viribus ad eam societatis constitutionem quae natura sua huic distributioni magis prodest. Largiores impendere proventus ut quae stuosae operae commoditas abunde fiat modo ea opera ad bona vere utilia comparanda insumatur, illustre ac temporum necessitatibus apprime aptum opus virtutis magnificentiae esse censendum. Enc. *Quadragesima*. Anno ex principiis S. Thomae dedit. <sup>1)</sup>

### *Articulus II.*

#### *Correptio fraterna.* <sup>2)</sup>

365. — Duplex est correptio delinquentis: una *auctoritativa* sive *iudicialis* sit sive *extraiudicialis*, quae fit a persona publica iurisdictionem et potestatem poenalem habente qua tali et tendit in bonum commune; <sup>3)</sup> altera *fraterna*, cuius finis est emendatio delinquentis, non utens coactione, sed simplici admonitione: quapropter est actus charitatis. Ad ultimam reduci potest illa correptio *paterna* quae a Superiori *tamquam patre* ad eumdem finem instituitur. Quare ea quae dicemus de correptione fraterna, valent et de paterna hoc sensu intellecta, paucis suo loco adiectis.

Correptio fraterna definitur: *Admonitio proximi, qua quis nittitur eum a peccato commisso revocare vel a committendo cohibere.* Admonitio fieri potest variis modis: docendo, hortando, obiurgando, etc.

Porro quum interdum, omissa correptione fraterna, peccatum denuntiari debeat Superiori, dicemus: 1<sup>o</sup> de ipsa correptione fraterna; 2<sup>o</sup> de denuntiatione Superiori facienda.

#### § I. - CORREPTIO FRATERNA IPSA.

366. — I. Existentia praecepti. *Exstat praeceptum divinum, naturale ac positivum, idque ex genere suo grave, corripiendi proximum correptione indigentem.* De pracepto naturali constat, quia, si subventio, qua depellitur externa proximi egestas, cadit sub pracepto naturae, multo magis ea, qua repellitur proximi peccatum, cuius remotio magis pertinet ad charitatem,

<sup>1)</sup> Cfr. A. A. S. 1931. p. 194.

<sup>2)</sup> Cfr. S. Thom. 2. 2. qu. 33.

<sup>3)</sup> Cfr. can. 2309. § 4; 1947-1953. Correptio auctoritativa, quae ex potestate poenali procedit et importat rationem poenitentiae, uti innuimus duplex distinguitur, extraiudicialis et judicialis. *Extraiudicialis* est vel secreta vel publica; correptio *iudicialis* habetur, si fiat vel a iudice pro tribunal sedente (et tunc dici potest *iudicialis* stricte poenalis) - vel ab Ordinario ante processum criminalem (et tunc dici potest *iudicialis* praecipue medicinalis). Correptio extraiudicialis secreta etiam paterna dicitur; ne tamen confundas hanc paternam correptionem, quae auctoritativa est, cum alia in textu memorata. Cfr. Noval. *De Processibus*, n. 783 et 784; Sole. *De del. et poenis*, n. 296-304; Chelodi, *Jus poenale*, n. 55 et 121; Vermeersch. *Op. mor.* II. n. 112; cfr. infra n. 369.

quam remotio damni corporalis. De praecepto *positivo* constat ex Eccli. xix. 14: «Corripe proximum... ne forte iteret,» et Matth. xviii. 15: «si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum...; si te audierit, lucratus eris frater tuum.» — Est praeceptum grave, quia est praeceptum charitatis, quae natura sua sub gravi obligat. (1. 2. *qu.* 88. a.2.)

**II. Materia praecepsi.** *Materia necessaria huius praecepti est omne peccatum mortale, in quod proximus aut lapsurus est, aut iam incidit, et nondum emendatus est.* Ratio est, quia peccatum mortale privat proximum vita spirituali, eumque proinde in gravi miseria constituit; colligitur insuper ex verbis Christi, qui correptionem praescribit ad lucrandum fratrem perditum. (*n.* 34. H. A. *n.* 20.)

Ad haec, correptio tanto strictius obligat quanto gravius noscitur esse peccatum, etiam soli peccanti perniciosum.

Peccati *venialis* correptio raro obligat nisi parentes aliosque Superiores; imo fieri potest ut Superiori religiosi sub peccato mortali veniales subditorum culpas corripere teneantur, cum tales sunt quae graviter nociturae sint communi observantiae. (*n.* 34. 35. H. A. *n.* 22.)

**III. Conditiones obligationis.** Ut praeceptum correptionis obliget, tres praecipue requiruntur conditiones, nempe: 1º *ut habeatur notitia moraliter certa de peccato commisso, aut de eius committendi probabili periculo;* aliter namque temeraria ac contumeliosa esset correptio; 2º *ut spes fructus ex correptione affulgeat;* nam finis eius est proximi emendatio, quae si desperetur, remedium frustra adhibetur; 3º *necessitas correptionis* ut proximus resipiscat aut periculum evitet; quia eleemosyna egenti tantum danda est. (*n.* 38. 39.)

**NOTANDA.** 1º *Quoad certam notitiam:* Nemo aliorum vitam *inquirere* debet, nisi Superior, cum probabilia subsunt peccati commissi vel committendi indicia. (*Lib.* 3. *n.* 369. *dub.* 2.)

2º *Quoad spem fructus:* a) Non requiritur ut statim speretur emendatio, sed sufficit, quod decursu temporis speretur; quare si, adhibita aliquoties correptione sine fructu, remaneat spes in futurum, non desistendum est a correptione. — b) In dubio num profutura sit an nocitura, non est facienda, ne male cedat; nisi proximus sit in periculo mortis: quia tunc damnum ex omissione correptionis est certum et irreparabile, aeterna nempe damnatio, damnum vero ex correptione est dubium; aut timeatur ex omissione corruptio aliorum in fide aut moribus: damnum enim plurium praevalet damno unius. — c) In dubio denique de profectu, quando certitudo habetur quod non sit nocitura, facienda est; effulget enim spes sine periculo noxae.

3º *Quoad necessitatem correptionis:* Haec exsistit, si improbabile sit quod proximus ex seipso resipiscat aut periculum fugiat, et non adsit alias aequi idoneus, qui correpturus est. (*n.* 38. 39. 42 *in fine.*)

Iamvero, *necessitas correptionis* non raro evenit, cum multi peccatores de eorum statu non recogitent, ideoque ad meliorem frugem revocandi sint; vel externo aliquo periculo retineantur a quo peccator ipse difficulter se extricare valet, nisi admoneatur et adiuvetur.

**IV. Subiectum obligationis.** *Omnes homines*, dummodo idonei sint, tenentur ad correptionem: *Superiores* tamen strictius ceteris: *episcopi et parochi* strictissime. Ratio primi est, quia hoc paeceptum est de iure naturali: quare, sicut unicuique mandavit Deus proximum diligere, ita etiam peccantem corripere. Ratio secundi est, quia tenentur ex officio consulere bono subditorum: ideo gravissimae comminationes illis fiunt in Ezech. xxxiii. 8 et xxxiv. 4-10. Ratio tertii est, quia accedit titulus iustitiae propter stipendum. (*Lib. 3. n. 360. dub. 1.*)

Nomine Superiorum continentur non solum animarum pastores, verum etiam parentes respectu filiorum, mariti respectu uxorum, tutores respectu minorennum, paeceptores respectu discipulorum, domini respectu famulorum, confessarii respectu poenitentium, concionatores respectu auditorum, etc. (*n. 40.*)

**V. Ordo servandus.** Ordo regulariter in correptione servandus est, quem Christus paescripsit, ut nempe peccator 1º admoneatur secreto, absque ullo teste; idque non semel tantum, sed pluries, quamdiu adest spes fructus; 2º si iste modus inefficax fuerit, adhibeantur unus vel duo testes, qui prodesse possunt; 3º si cassus fuerit secundus modus, denuntietur Superiori, ut ipse corripiat. Constat tum ex Matth. xviii. 15; tum ex iure naturali, ut consulatur quantum fieri potest famae et honori proximi. Verumtamen emendatio paeferenda est famae et honori.

Dixi *regulariter*; nam interdum hic ordo praetermittendus est, ut statim Superiori peccatum denuntietur. De hoc autem vide § II.

**VI. Modus corripiendi.** Ut correptio prosit, *modo convenienti* fieri debet, videlicet cum prudentia et charitatis affectu, atque diverso modo secundum conditionem personarum. Nam inferior plerumque prius increpandus, postea mansuete hortandus est: aequalis amice commonendus, superior humiliter rogandus est.

Prudentia autem exigit ut attendatur *opportunitas temporis*. Unde: a) si credatur postmodum adfutura melior occasio, vel speretur maior utilitas, licet correptionem differre. b) Licet quandoque exspectare peccati iterationem, si aliter non sit probabilis spes verae emendationis, et hoc modo speretur firmior conversio.

**VII. Causae excusantes a paecepto correptionis fraternalae paecipuae sunt:** 1º *inabilitas personae*, e. g. ob iracundiam, imprudentiam; 2º *desperatio emendationis*; 3º *defectus opportunitatis*; 4º *periculum gravis damni pro corripiente*, quia charitas regulariter non obligat cum tanto incommodo. (*n. 38. 39. sub. 4.*)<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Correptio *iudicialis* non est omittenda propter turbationem eius, qui corripitur; tum quia, si sua sponte emendari non vult, cogendus est per poenas ut peccare desinat; tum quia, si incorrigibilis est, prouidetur bono communis, dum servatur ordo iustitiae et unius exemplo alii deterrentur. Unde index non praetermittit ferre sententiam condemnationis in peccantem, propter timorem turbationis ipsius vel etiam amicorum eius. Ita S. Thomas 2. 2. *qu. 33. art. 6.*

Grave incommodum non semper excusat; nam excipitur 1º casus *extremae* necessitatis, nimurum si esset aliquis corripiendus in fine vitae, ita ut credatur, nisi admoneatur, moriturus in peccato; tunc enim, si spes sit fructus, urget praecipuum, etiam cum periculo vitae; patet ex ordine charitatis. Excipiuntur 2º *Superiores*, qui in gravi subditorum necessitate ob magnum incommodum non excusantur; imo Pastores animarum tenentur tunc cum periculo vitae subditos corripere, tum ob officium, tum ob stipendum, quod recipiunt.

Adhaec, concionatores ex munere suo tenentur peccata publica reprehendere, propter bonum commune, etiamsi nulla affulgeat spes emendationis reorum. Quin etiam ad hanc publicam correptionem tenentur cum periculo proprii damni, dummodo tamen aliquis fructus speretur, saltem in aliis, et maius damnum commune non timeatur. (n. 39. 40.)

367. — *Resolutiones.* 1º Si putari prudenter potest peccatorem non relapsurum, sed brevi sua sponte ad meliorem frugem redditum esse, cessat fraternalae correptionis obligatio. (n. 39. sub. 4.)

2º Si prudenter timetur ne correptio rem peioret, tantum abest ut adsit obligatio corripiendi, ut potius sit obligatio silendi, nisi simul aliorum damnum interveniat.

3º Non tenetur quis corripere hominem sibi ignotum et extraneum, quem videt peccatem aut audit blasphemantem; quia, cum ignoret eius ingenium, facile timeri potest malus exitus. Excipe tamen, si periclitaretur honor Dei vel salus aliorum.

4º Homo privatus, qui ex pusillanimitate aut timore correptionem omittit, paratus tamen ad eam faciendam, si sciret eam efficacem fore, venialiter tantum peccat. (n. 37.)

5º Scrupulosi ordinarie excusantur a correptione facienda: quia necessaria discretione carent.

368. — *Quaestiones. QUAER.* 1º *An peccatum materiale commissum ex ignorantia INVINCIBILI, sit materia necessaria correptionis.*

*Resp.* Certo materia necessaria correptionis vel saltem monitionis<sup>1)</sup> tam pro privato quam pro Superiore est: 1º peccatum materiale quod nocet ipsi ignorantii, puta ubi agitur de rebus necessariis necessitate medii ad salutem, vel de peccato ex quo pravus habitus esset oriturus, qui difficile deponeretur ignorantia postea sublata, ita ut talis in gravi periculo peccati formalis constitueretur; quod ultimum maxime attendendum est in peccatis contra ius naturae, v. g. in materia luxuria, quia in iis ignorantia non solet perdurare; 2º peccatum materiale quod est in damnum vel scandalum aliorum; 3º peccatum materiale quod contrariatur honori Dei, puta blasphemiae quas quis profert ignorans sensum eorum. — Dein in omni casu, etiam ubi agitur de laesione iuris positivi humani,

<sup>1)</sup> Dictum est: *vel saltem monitionis;* in dictis casibus enim, quidquid est de officio correptionis fraternalae stricto sensu, saltem est obligatio monendi proximum vel ex officio charitatis docendi ignorantias aut scandala et damna proximi removendi, vel ex officio honorem Dei promovendi.

*Superioribus* incumbit officium monendi subditos; ipsi enim ex officio tenentur subditos docere. Haec ergo obligatio incumbit parochis, confessariis, parentibus, magistris etc.

Num autem extra casus praedictos peccatum materiale pro omnibus sit materia necessaria correptionis, cum distinctione respondendum videtur.

1º Si est contra ius *naturale*, affirmandum est, quoties agitur de iure naturali absoluto, non nitente aliquo facto humano v. g. contractu. Ratio est quia actio est intrinsece et absolute mala.

2º Si agitur de iure divino *positivo*, pariter affirmandum, ob reverentiam debitam erga talem legem.

3º Si est contra *ius humanum* vel *ius naturale*, facto humano innitens, disputatur. Sententia probabilis negat obligationem, saltem sub gravi, dummodo absit scandalum vel damnum tertii; quia nihil intrinsece malum committitur nec urget ratio specialis reverentiae, sicut pro lege divina. (n. 36.)

QUAER. 2º *An Superiores umquam corripiendi sint a subditis suis.*

*Resp. Affirm.*, si correptione indigeant; quia tenemur omnes diligere; quare strictius obligantur subditi, quam alii, siquidem magis debent Superiores suos diligere. Attamen correptio facienda est cum humilitate et prudentia, obsecrando potius quam increpando, et occulte, ut cum fructu fiat, iuxta 1 Tim. v. 1: «Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.»

Excipe tamen, si Superioris peccata publica essent et scandalosa; tunc enim publice a subdito redarguendus erit. *Ita communiter.* (n. 40.)

## § II. - DENUNTIATIO SUPERIORI FACIENDA.

369. — *Praenotandum*. Ut dictum est supra, in correptione fraterna regulariter ordo servandus est a Christo Domino traditus, ita ut peccatum non nisi post secretas monitiones Superiori manifestetur. Interdum autem peccatum, omissa correptione fraterna, statim Superiori denunciandum est.

Denuntiatio sicut correptio duplex distingui potest, aut enim est iudicialis aut evangelica. Denuntiatio *iudicialis* est aut facultativa aut obligatoria. *Facultativa* in iure canonico ea est quae fit ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarcendum vel etiam studio iustitiae ad alicuius scandali vel mali reparationem. (can. 1935. § 1.) Dicitur simpliciter *iudicialis*. *Obligatoria* habetur, quotiescumque ad id quis adigitur sive *lege*<sup>1)</sup> vel peculiari legitimo pracepto, sive ex ipsa naturali lege ob fidei vel religionis periculum vel aliud imminens publicum malum.<sup>2)</sup> (*ibid.* § 2.) Dicitur etiam canonica. Utraque fit Superiori *tamquam iudici*, vel saltem *tamquam Superiori*, indeque tutori boni communis vel innocentis. Quare directe de ea hic non agitur. — Denuntiatio *evangelica* ea est quae fit Superiori *tamquam patri*, ut paterno affectu reum corripiat ad eius emendationem. De hac tantum denuntiatione hic agimus.

370. — *Principium*. *Omissa correptione, STATIM facienda est denuntiatio, quoties denuntiatio necessaria est ad obtinendum bonum, praevalens amissioni famae proximi apud Superiorem eamque coherestans*. Hoc autem obtinet:

<sup>1)</sup> Talem obligationem habes in can. 904, 1397, 2366.

<sup>2)</sup> Cfr. supra n. 326.

1º Si peccatum vergit in *damnum alterius innocentis*, maxime si *in damnum communitatis*, et alio modo tute averti nequit, e. g. coniuratio, aliorum corruptio; defensio enim innocentis, imprimis vero *communitatis*, ab iniuria nocentis praeponderat damno nocentis.

Quare in *communitatibus*, quando agitur de delicto pernicioso, puta de periculo pervertendi plures, requiritur statim delatio ad Superiorem. Imo, cum agatur de gravi damno communi, etiam cum gravi incommodo haec denuntiatio fieri debet; neque absolvit possunt, qui denunciare per se vel per alium nollent. Haec doctrina observari debet circa corruptores in Collegiis, Seminariis, Convictibus, etc.

2º Si *necessarium est propter emendationem ipsius proximi*, id quod contingere potest a) si quis animadvertisit se solum imparem esse efficaciter emendandi proximum, v. g. si hic propter officium sibi commissum in occasione proxima versatur; b) si quis certissimus est monitionem suam nihil profuturam. (n. 41. Lib. 4. n. 240-242.)

371. — NOTANDA. 1º Patet crimen deferri posse Superiori, si publicum seu notorium est; eo ipso enim fama proximi amissa est.

2º Supponitur in iis quae diximus et dicturi sumus, Praelatum cui fiat denuntiatio esse sufficienter *prudentem*: quia si Praelatus imprudens est, hae regulae non valent, cum in hoc casu ex denuntiatione maiora mala timenda sint. In ordinibus autem bene institutis Praelatus praesumitur prudens. (Lib. 4. n. 245.)

3º Post denuntiationem evangelicam circumstantiae possunt esse tales ut Superior habeat ius vel obligationem declarandi denuntiatori eum teneri ad denuntiationem canonicam, ita quidem ut aliquando eam ipsi etiam praecipere possit. Vermeersch. n. 117. Secus autem Superior tenetur legibus secreti commissi, de quibus cfr. infra n. 1004.

372. — Quaestiones. QUAER. 1º *An liceat peccatum occultum, communitati non perniciosum, deferre Praelato ut patri, omissa secreta correptione, quando pro fratri emendatione sic MAGIS EXPEDIRE videtur.*

*Resp. Affirm.*: quia potior est fratri emendatio, quam fama eius; unde, ut finis correptionis tutius et efficacius attingatur, fas erit ordinem, qui secundarius est, praetermittere. (Lib. 4. n. 243.)

Haec sententia cumprimis valet pro *communitatibus religiosis*. In hisce plerumque praestat culpas religiosorum, si nondum emendatae sint vel relapsus timeatur, sine secreta monitione deferre Superiori; quin etiam, si de gravi peccato agatur, *necessarium erit*; tum quia Superior aptiora remedia adhibere potest; tum quia timendum est ne alias denuntiatio omnino omittatur, si post correptionem facienda esset; tum quia peccatum saepe erit *in damnum communitatis*, secus non tam bene cavendum. (Lib. 4. n. 245. H. A. tr. 13. n. 74.)

Demum ipse denuntiator operam dare debet ut ex sola charitate procedat, ipsius delinquentis et *communitatis bonum* semper intendens; insuper, ut *nihil exaggeret*.

**QUAER.** 2º *An, si reus iam emendatus sit, possit adhuc denuntiari Praelato.*

*Resp.* Si constet fratrem plene emendatum esse, neque exsistere probabile periculum relapsus, non potest; quia tunc cessavit motivum denuntiandi.

Ob eamdem rationem si Superior immediatus ex se solo possit delinquentem emendare, ita ut ipsi nullum periculum relapsus, neque alteri vel communitati ullum periculum damni immineat, non potest delictum manifestare Superiori mediato. (*n. 42. Lib. 4. n. 244.*)

**QUAER.** 3º *Quaenam possit Praelatus praestare ex denuntiatione sibi facta ut patri.*

*Resp.* 1º Priusquam ad correptionem procedat, debet: *a)* delatoris ingenium attendere, num et quoisque fide dignus sit; *b)* ipsum denuntiatum patienter audire; nam defensio unicuique iure naturali debita est; *c)* cavere plerumque ne denuntiatus delatorem suum agnoscere possit; nisi necessitas aliud exposcat.

2º Correptionis causa poterit: *a)* moderatas poenitentias iniungere delinquenti, quae neque infamiam inducant, neque delictum manifestent, si grave est; *b)* subditum ab officio aut a loco removere, si fieri possit sine infamia; *c)* delictum uni vel aliquibus consultoribus manifestare, si necessarium iudicet ad remedium maiori cum fructu ac securitate adhibendum; *d)* eum graviter reprehendere coram duobus vel tribus testibus, ad maiorem eius confusionem et commotionem; *e)* fidelem socium designare, qui sontis actiones exploret ac Praelato deferat, si Praelatus, post correptionem factam, vigilantiam necessariam putet; quem ad finem poterit eidem socio aliquam suspicionem indicare de fratre sibi commisso: et alia huiusmodi. Nulla horum excedant limites correptionis *paternae*. Ita plures Doctores.

### *Articulus III.*

#### **De Actione Catholica.**

**379<sup>bis</sup>.** — I. **Notio.** Actio Catholica est collaboratio cum apostolatu hierarchico ex parte laicorum, secundum normas a Sancta Sede datas organizata; seu, ut verbis Pii XI utamur: « Christi fidelium apostolatus qui, ducibus Episcopis, adiutricem Ecclesiae Dei operam praestat, et pastorale eius ministerium quodammodo complet. »<sup>1)</sup> Haec est Actio Catholica sensu

<sup>1)</sup> Epist. ad Card. van Roey. 15 Aug. 1928. *A. A. S.* 1928. p. 296; Epist. ad Card. Segura. 6 Nov. 1929. *A. A. S.* 1929. p. 665. Notetur in Const. *Bis saeculari*. 27 Sept. 1948. *A. A. S.* 1948 p. 393, licet definitio A. C. ibi data ex dictis epistolis citetur, plura verba suppressa vel mutata reperiri.

Quae in sequentibus traduntur praeprimis multiplicibus (i. e. plus quam centum) S. Sedis Actis innuntiuntur. Pii X. Encycl. *Il fermo proposito*, citata etiam supra (*n. 359*) pro actione sociali; dein Enc. Pii XI *Ubi arcano* 23 Dec. 1922. *A. A. S.* 1922. p. 673; epistolae 24 Iunii 1928. *A. A. S.* 1928. p. 254; 25 Aug. 1928. *A. A. S.* 1928. p. 295; 13 Nov. 1928. *A. A. S.* 1928. p. 384; 5 Nov. 1929. *A. A. S.* 1929. p. 664; 10 Nov. 1933. *A. A. S.* 1934. p. 628; 28 Martii 1937. *A. A. S.* 1937. p. 189. De caetero cfr. Guerré. *L'action catholique. Textes pontificaux classés et commentés*. Cfr. etiam Nova statuta Act. Cath. in Italia. 1946. Oratio

stricto sumpta: sensu enim lato quivis apostolatus, sive a clericis sive a religiosis sive a laicis saecularibus exercitatus fali nomine vocari potest.

Apostolatus nihil aliud est nisi adimpletio missionis divinae ad salvandos homines per fundationem et extensionem regni Dei in terra. Hinc Filius Dei missus a Patre, summus est Apostolus, atque eius Apostolatum participat corpus eius mysticum, Ecclesia, hierarchia principaliter, laicatus instrumentaliter. *Actione* ergo in casu significat collaborationem seu cooperationem laicatus hierarchiae subordinatam, instrumentalem, exexecutivam. Nihilominus Apostolatus laicorum in Actione Catholica stricte sumpta dici potest hierarchicus, quatenus hierarchiae concatenatus, iuxta eius imaginem et mandata procedit. Est omnium et solorum laicorum; sed non omnes eodem modo apostolatus participes sunt; maior pars modo potius receptivo seu initiali, ut formetur scil. ad apostolatus exercitium; minor pars selecta modo activo, ut ipsum apostolatum missionis ab hierarchia receptae exerceat.

**II. Obligatio.** Obligatio omnium laicorum aliquo saltem modo exercendi apostolatum sequitur ex natura Ecclesiae. Ecclesia enim est corpus Christi mysticum, cuius omnes fideles membra sunt; membrorum autem interesse debet totum corpus bene valere et crescere. Hinc ex iustitia quadam sociali et charitate sociali Ecclesiae bonum prosequi debent. Insuper, corpus mysticum Ecclesiae habet munus quoddam sacerdotale; sicut caput eius Summus Sacerdos est. Ideo omnia eius membra participant de isto munere; quo spectant characteres indelebiles Baptismi et Confirmationis, ita ut vi characteris baptismalis Christianus cum et in Christo oret et sacrificet pro toto corpore; vi characteris confirmationis fidem Ecclesiae palam confiteatur et defendat. Ex multis etiam locis Novi Testamenti comprobatur obligatio omnium ad apostolatum orationis<sup>1)</sup>, sacrificii et mortificationis<sup>2)</sup>, boni exempli<sup>3)</sup>, verbi<sup>4)</sup>, operum misericordiae<sup>5)</sup>. Tandem haec obligatio explicite traditur in pluribus documentis vel allocutionibus pontificiis.<sup>6)</sup>

Quae tamen obligatio diverso gradu et forma existit pro diversitate personarum, locorum et temporum; sed generatim hodieum maior est, ob defectum numeri sufficientis Sacerdotum et ob difficultates quae saepenumero impediunt

Pii XII. 5 Sept. 1940. *A. A. S.* 1940 p. 362. Cfr. etiam *Conc. Mechl. V. tit. VIII*; Civardi. *Man. di A. C.*; Cavagna. *Pio XI e l'Az. Catt.*; Schmitt. *Die Kath. Aktion in der Moraltheol.* in *Miscellanea Vermeersch*. I. p. 38; Tromp. *Action cath. in Corpore Christi in Period. de re morati*. 1936 p. 1\*; Pollet. *Act. cath. princ. theol. thom. diligidata in Angelicum*. 1936. p. 442; N. K. St. 1937. passim. Buys-Boelaars. *De Katholieke Actie*. 1946; Mancini. *Dell'Azione Catt. e suo innesto futuro nel C. I. C. in Rassegna di Morale e Diritto*. 1938. p. 137; Dorsaz. *L'Appel du Pape aux laïcs*.

Animadvertisendum quod definitio et organisatio Actionis Catholicae certam evolutionem demonstrat; sic nominatum expressio «participatio in apostolatu hierarchico» initio saepius usitata ultimis temporibus passim derelicta est et mutata in «collaborationem».

<sup>1)</sup> Matth. VI, 10; IX, 38; I. Tim. II. 1-4.

<sup>2)</sup> Col. I. 24; II. Cor. IV. 10.

<sup>3)</sup> Matth. V. 16; I. Petr. II. 12; I. Cor. X. 32.

<sup>4)</sup> Matth. X. 32; Col. IV. 6.

<sup>5)</sup> Matth. XXV. 34-40; Rom. XII. 13-21.

<sup>6)</sup> Cfr. Guerry *l. c. p. 57-59; p. 259-274*.

ne isti ad singulos fideles et ad societatem laicismo infectam accedant, tandem ob necessitatem vel opportunitatem variorum operum quae sine concursu laicorum a solo clero sustineri nequeunt. Ideo hodie etiam Actio Catholica stricte sumpta necessaria est.

**III. Obiectum.** Quia Apostolatus hierarchiae perficitur per exercitium triplicis potestatis magisterii, ministerii et regiminis; ideo etiam Apostolatus laicorum triplex habet obiectum quatenus hierarchiae auxilium suum praestare debet, ut ipsa trinam illam potestatem suam perfecte exercere valeat. Hinc:

1º Quoad potestatem *magisterii*, apostoli laici debent esse doctrinæ catholicae testes, defensores, propagatores. *Testes*, maxime per vitam exemplarem; *defensores*, contra laicisationem vitae publicae, et contra apostolos diaboli pro vita «sine Deo»; *propagatores*, per doctrinam christianam iuventuti tradendam, ope etiam alicuius sodalitii pii ad hoc instituti<sup>1)</sup>; per scholas catholicas<sup>2)</sup>, aptis magistris etiam laicis ad hoc in unum collectis<sup>3)</sup>; per publicationes, sive de re religiosa, sive de quacumque alia re, sed spiritu catholico imbutas; per auditiones radiophonicas et exhibitiones cinematographicas bonas, malis oppugnatis<sup>4)</sup>; per defensionem publicae moralitatis, in vestitu, in stationibus balneariis, etc.; tandem per omnem actionem missionariam.<sup>5)</sup>

2º Quoad potestatem *ministerii*, apostoli laici procurare debent sanctificationem populi christiani, promovendo vitam sacramentalem, liturgicam, spiritualem omnem. Hinc: a) Cum Sacerdote current ut sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiae, Poenitentiae rite suscipiantur; ut infirmi Extrema Unctione tempestive donentur; ut vocaciones sacerdotales et missionariae prudenter foveantur; ut matrimonia valide et licite ineantur, oppugnando fortiter concubinatus et matrimonia mixta. Promoveant quoque congressus et processiones eucharisticas, adorationes, etiam nocturnas. b) Foveant assistantiam Missae in diebus tam festivis quam ferialibus<sup>6)</sup>; observantiam abstinentiae ab operibus prohibitis diebus festis, et legis ieunii et abstinentiae; pia opera pro conficiendis ornamentis sacris; cursus liturgicos, etc. c) Promoveant missiones populares aliaque exercitia spiritualia, tertios ordines ceterasque pias associationes.

3º Quoad potestatem *regiminis*, apostoli laici debitam subiectionem erga Ecclesiae auctoritatem in vita individuali, familiali, sociali promoveant. In individuis gignant illum sensum catholicum, quo sese quasi sponte iussis vel placitis Ecclesiae subiificant. Ad instarurandam familiam christianam concurrant, defendendo contra eius inimicos, matrimonii fecundi-

<sup>1)</sup> Cfr. can. 1333. § 1.

<sup>2)</sup> Cfr. can. 1375; Enc. *Divini illius Magistri* 31 Dec. 1920, ubi schola catholica provehenda ac tuenda vocatur «potissimum A. C. munus.» *A. A. S.* 1940. p. 79.

<sup>3)</sup> Cfr. Enc. cit., ubi sodalitates praceptorum vocantur «nobilissimum validumque A. C. praesidium».

<sup>4)</sup> Cfr. infra II. n. 504. Scholion.

<sup>5)</sup> Cfr. infra I. n. 315 bis.

<sup>6)</sup> Cfr. can. 1273.

tatem, indissolubilitatem, fidem coniugalem<sup>1)</sup>; parentum iura circa educationem et scholas; promovendo demum debitam ad matrimonium ineundum praeparationem. Opera socialia quaecumque spiritu catholico competentrent ipsumque Statum denuo christianum reddere contendant, ita ut iura Dei et Ecclesiae publice agnoscantur.

**IV. Modus adimplendi obligationem.** Quo efficacius suum finem obtineat, Actio Catholica per sic dictam specialisationem simul et coordinationem procedat oportet:

1º *Specialisatio* tam in praeparando quam in exercendo apostolatu servanda est. *Praeparatio* ad apostolatum singulorum adiunctis *accommodata* esse debet, ita ut religio totam eorum vitam quotidianam pervadat. Hinc debet esse *concreta* seu principia christiana quibusvis vitae modernae conditionibus applicans, ita ut nulla separatio seu mera iuxtapositio inter praxim religiosam ceteraque vitae humanae activitatem inveniatur. Tandem *collectiva* esse debet, ita ut omnes eiusdem conditionis personae in communi influxum suum mutuum in proprium ambitum exercere addiscant.

Huc maximopere spectat actio *iuvenilis*, inde a tenera aetate in variis sectiobibus pro diverso sexu diversaque conditione sociali pro tota iuventute, ut operaria, agricola, civili, universitaria instituenda. Finis eius primarius est iuventutis educatio religiosa, moralis, socialis, per perfectam instructionem in doctrina christiana atque exercitium omnium virtutum, praesertim vero charitatis, castitatis, obedientiae, mediante pietate eucharistica et mariali. Methodus non debet esse mere theoretica seu intellectualis, sed praevalenter practica, ita ut adolescentes sese continuo in vita christiana profitenda exerceant, in exemplum aliorum; quos paulatim ad Christum adducentes futuro apostolatu iam initiari incipient.

*Exercitium* Apostolatus tale sit, ut singula centra socialia, velut operariorum, agricolarum, negotiatorum, herorum, intellectualium, per apostolos laicos in unum coniuctos atque ad idem illud centrum pertinentes, continua irradiatione christianizentur. Qua in re magna methodi diversitas servanda est pro propria cuiusque coetus indole; salva semper solidarietate illa qua omnes sese invicem libenter adiuvant iuxta ordinem charitatis «in consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi» (Eph. iv, 12.)

2º *Coordinatio* seu organisatio apostolatus laicalis requiritur. Est enim collaboratio in apostolatu hierarchico qui et ipse organisatus est; hinc pari passu cum organisatione hierarchica procedere debet nec concipi potest nisi in quadro hierarchico; secus laici duplarem suam missionem, formationis ad apostolatum ipsumque apostolatum, sub dependentia ab hierarchia rite adimplere nequeunt. Accedit quod illorum apostolatus debet esse universalis ita ut totum mundum Christo lucri faciant; quod iterum solis unitis viribus obtineri potest.

<sup>1)</sup> Cfr. Enc. *Casti Connubii* 24 Dec. 1930, ubi auxilium ab A. C. hisce in rebus praestandum diserte recolitur. A. A. S. 1930. p. 581.

Forma coordinationis aliquo saltem modo paroecialis, semper dioecesana esse debebit, ut tandem in interdioecesanam et nationalem excrescat. Principalis membrorum divisio erit virorum et mulierum atque in ordine ad formationem ad apostolatum adolescentium utriusque sexus. Evitandum ne sub coordinationis praetextu nimia centralisatio nimiaque uniformitas seu unificatio, qua spontanea operum suffocetur evolutio, imponatur. Sed unitas paeprimis adsit convictionum atque adspirationum, quae continuo secundum ordinem stabilitum in mutua charitate atque in submissione erga S. Sedem et Episcopatum ad effectum ducantur. Tandem perbene pro diversis regionibus, salvis essentialibus, speciales formae et ordinationes iuxta diversas traditiones et adiuncta particularia dari possunt.<sup>1)</sup>

V. Habitudo ad alias actiones. Actio Catholica alias actiones pro diversa ipsarum natura rerumque adiunctis aut suas facere aut tamquam auxiliatrices admittere aut mere spiritu catholico penetrare curabit. In specie:

1º *Actio religionum laicalium*, sive vitae mere contemplativae, sive vitae mixtae adhaerent, manifesto est actio auxiliatrix maximi momenti, quatenus religiosi oratione et poenitentia in vita contemplativa, instructione, aliisque charitatis operibus in vita activa, modo organizato cum aliis laicis apostolatum exercent. Hinc A. C. facile eorum auxilium implorabit in praeparanda iuventute ad apostolatus exercitium.

2º *Actio associationum piarum saecularium* facile apostolica esse potest; ex natura enim sua hae associationes nequaquam excludunt necessario omnem apostolatum, imo saepe eum expresse admittunt. Qua in re non tantum ad Codicem J. C. (can. 701. 702. 707), verum etiam ad Statuta particularia, ab Ecclesia approbata, attendendum est. Ita de facto non tantum tertii ordines saeculares, verum etiam plures aliae associationes piae, uti congregations mariales et archiconfraternitas S. Familiae Leodii erecta, lateque per orbem diffusa, perfectionem christianam in saeculo prosequendam vel etiam varias alias apostolatus formas pro fine specifico habent. Ipsarum relatio ad A. C. duplex esse potest. Primo loco iam eo ipso quod sodales suos ad perfectionem christianam educare intendunt, apostolatum exercent, qui quidem primo loco omnium virtutum exemplo colli debet; hoc ergo respectu tales associationes velut fundamentum atque cardo sunt omnium istorum operum quae A. C. sub respectu apostolatus in unum quoddam corpus colligere studet; atque saltem tamquam Actionis Catholicae organa auxiliaria eaque maximi momenti habenda sunt. Deinde tamen eae societates quae praeter propriam sanctificationem etiam opera apostolatus pro fine habent sub ductu sacrorum Pastorum exercenda, iam per se ipsas verae Actionis Catholicae associationes dici poterunt, si uti tales ab auctoritate ecclesiastica agnoscantur atque in organisationem A. C. vel cum aliis societatibus foederative vel modo dependenti ab aliquo coetu primario assu-

---

<sup>1)</sup> Ita diserte Pius XII in allocutione habita 5 Sept. 1940. A. A. S. 1940. p. 362.

muntur.<sup>1)</sup> Unde inter eas et A. C. omnis zelotypia falsaque aemulatio vitanda, atque charitas et concordia tum mutuis auxiliis quam aequa operum distributione, collatis consiliis, imo pactis initis, fovenda est.

3º *Actio socialis* varia est: oeconomica eaque instituta tam secundum civium ordines quam secundum varias professiones; dein charitativa, culturalis; aliquando primarie religiosae, aliquando mixtae, aliquando primarie temporalis indolis erit. Si primum, ut v. g. apostolatus maris, organa interna subordinata et partialia A. C. fieri poterunt; si secundum, ut organisatio classium seu ordinum inter cives, cura infirmorum et pauperum, actio culturalis per bibliotecas, radiophonicas auditiones, cinematographa, practice melius organisationes auxiliatrices erunt; si tertium, ut organisationes profesionales, necessario nonnisi tamquam actiones auxiliatrices ceteroquin utilissimae admitti possunt.

4º *Actio politica* materiam mere politicam atque mixtam comprehendit. A. C. ut sic non debet sese immiscere quaestionibus mere politicis, sed tamen ipsius est membra sua docere obligationes politicas. Prius patet ex diversitate, alterum ex subordinatione finium et identitate subiectorum; membra enim A. C. sunt simul etiam cives — in quaestionibus sive per se sive per accidens mixtis A. C. debet adhibere suum influxum, ut secundum principia catholica solvantur. — Insuper A. C. ut sic debet esse perfecte independens et segregata ab omni quoque *factio* politica, etiam catholica. A tali enim factione natura et fine suo distinguitur nec umquam altera alterius vices ex integro gerere potest. Imo vel ipsi praesides potius diversi sint; neque factio politica, utut catholica, tamquam organisatio auxiliatrix admitti debet; non enim directe et per se ab hierarchia pendet. Sed mutua collaboratio necessaria est; factio catholica prospiciat ut Status Actionem Catholicam iuridice agnoscat eiusque activitati pro moralitate praesertim publica suffragetur; A. C. bonos formet cives, adscriptionem factonis catholicae, si qua est, et concordiam inter catholicos promoveat, secundum normas forsan ab hierarchia datas; tandem efficiat ne umquam catholici factionibus prohibitis dent nomen.

---

<sup>1)</sup> Hoc de Congregationibus marijanis Pius XII expresse declaravit Const. Apost. *Bis saeculari*, 27 Sept. 1948. A. A. S. 1948. p. 393; item admittit de Foederationibus a Ss. Corde in Epist. 19 Sept. 1948. A. A. S. 1948. p. 503.

## CAPUT VI.

## PECCATA CONTRA CHARITATEM

373. — Peccatur contra praeceptum charitatis quatenus est affirmativum, per omissionem actuum huius virtutis quando obligant; quatenus est negativum, peccatur per omnes actus charitati contrarios. Porro charitatis actus elicti sunt ipsa dilectio, gaudium de bonis Dei et proximi, pax et beneficentia erga proximum. *Dilectioni* opponitur odium tum Dei, quod est omnium peccatorum gravissimum, tum proximi; *gaudio* opponuntur acedia, quae tristatur de bono divino, et invidia, quae tristatur de bono proximi; *paci* opponuntur discordia in corde, contentio in ore, rixa, seditio, bellum et schisma in opere; *beneficentiae corporali* opponuntur diversa peccata quae pertinent ad rationem iniustitiae, quatenus illis proximus in iure suo laeditur; *beneficentiae spirituali* opponitur scandalum et cooperatio ad malum proximi. In hoc Capite agemus tantum de odio proximi (in art. I.), de scando (in art. II.) et de cooperatione (in art. III); de ceteris alibi tractatur.

*Articulus I.*

## Odium proximi.

374. — Notio et divisio. Odium duplex distinguitur: odium *inimicitiae* seu *personae*, quo quis personae sibi displicenti malum vult ac exoptat, de illius malis gaudet, et de bonis dolet, ut illi male sit: odium *abominationis* seu *qualitatis*, quo aliquem aversamur, non secundum seipsum, sed secundum aliquam qualitatem nobis displicentem, e. g. hominem litigiosum qua talem. Prius opponitur amori amicitiae, quia, sicut amore amicitiae volumus alteri bonum, ut illi bene sit, sic odio inimicitiae volumus alteri malum, ut illi male sit.

375. — Principia. I. *Odium INIMICITIAE est ex genere suo peccatum mortale.* Ratio patet, quia directe opponitur praecepto charitatis. — Per accidens potest fieri veniale, non solum ex indeliberatione actus, verum etiam ex levitate materiae: ut si quis leviter aversetur personam, quin debita charitatis opera neget, aut si leve malum illi optet. (n. 30.)

II. *Odium ABOMINATIONIS bonum vel malum est, prout qualitas quam aversamur, bona vel mala est.* Hac ratione Psalmista ait Ps. cxviii. 113: « Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi; » et Ps. cxxxviii. 21: « Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos. » (n. 30.)

**Nota pro praxi.** Non omnes poenitentes, qui de odio se accusant, huius peccati, gravis praesertim, rei censendi sunt; saepe enim confundunt odium *qualitatis* cum odio *personae*, aut nonnisi aliqua aversione seu antipathia naturali et invincibili laborant. (*n. 30.*) — Advertendum tamen est, odium *qualitatis* facile degenerare in odium *personae*.

### *Articulus II.*

#### **Scandalum.**

In hoc articulo disseremus: 1º de notione et divisione scandalis; 2º de malitia scandalis activi; 3º de permissione scandalis passivi; 4º de variis casibus scandalis; 5º de reparacione scandalis.

#### **§ I. - NOTIO ET DIVISIO SCANDALI.**

**376.** — **Notio.** Scandalum, vox graeca, quae idem significat ac offendiculum, potest sumi sensu activo aut sensu passivo. Scandalum ACTIVUM a S. Thoma<sup>1)</sup> definitur: *Dictum vel factum minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.*

Dicitur: 1º *dictum vel factum*, quibus terminis comprehenditur etiam omissio dicti vel facti debiti, utpote quae alteri occasio peccandi esse potest. 2º *Minus rectum*, id est, vel malum in se, vel speciem mali habens. Actio mala est e. g. loqui turpia coram adolescente; mali speciem habet e. g. in die ieiunii ex dispensatione carnes comedere coram personis dispensationem ignorantibus. 3º *Praebens occasionem ruinae*, id est, aptum ad inducendum proximum in peccatum. Nihil potest esse homini *sufficiens causa* peccati, nisi propria voluntas; ideo dicta vel facta alterius hominis possunt esse solum *causa imperfecta*, aliquantum inducens ad peccatum; propterea non dicitur: *dans causam ruinae*, sed: *dans occasionem, intellectam tamquam causam moralem et incompletam.*<sup>2)</sup>

Scandalum PASSIVUM est *ipsa proximi ruina seu peccatum, in quod labitur ex occasione ab alterius dicto vel facto sive minus recto sive etiam plane recto orta.*

**377.** — **Divisio scandalis.** 1º SCANDALUM ACTIVUM duplex est: a) *Directum*, quando quis proximi peccatum *intendit*, sicut iussione, consilio, seductione fieri solet. Intendi autem potest peccatum proximi dupliciter; nimis vel quatenus ruina proximi est, et tunc dicitur *scandalum diabolicum*, quia hoc modo solent daemones ruinas hominum intendere; vel quatenus proximi peccatum inserviat propriae scandalizantis voluptati, uti contingit in luxuriosis, aut propriae eius utilitati, uti fit a meretricibus, a vendoribus rerum turpium etc.: tunc autem vocatur scandalum *sim-*

<sup>1)</sup> Cfr. 2. 2. *qu. 43. a. 1.*

<sup>2)</sup> Cfr. S. Thom. *I. c. ad 3.*

*pliciter directum.*<sup>1)</sup> — b) *Indirectum*, quando quis peccatum proximi non intendit, sed probabiliter secuturum praevidet ex actione sua quatenus actio suapte natura impellit ad peccandum, puta cum aliquis publice facit peccatum vel quod habet speciem peccati, coram iis qui sunt infirmi in virtute.

2º **SCANDALUM PASSIVUM** quoque duplex est: a) *Datum*, quod oritur ex scandalo activo, seu ex dicto vel facto minus recto alterius. — b) *Acceptum*, quod non oritur ex activo alterius, quando nempe aliquis peccandi ansam sumit ex actione alterius plane recta; quod si fiat ex fragilitate aut ex ignorantia, dicitur scandalum *pusillorum*, e. g. si iuvenis ex ornato honesto puellae sumat ansam concupiscendi eam; si vero fiat ex malitia, vocatur scandalum *pharisaicum*, e. g. si quis ex bono opere alterius ansam sumat eidem detrahendi, eum odio habendi, uti Pharisaei ex operibus Christi.

Quandoque ergo contingit ut sit simul scandalum activum in uno et passivum in altero, puta cum ad inductionem unius alius peccat: quandoque vero est scandalum activum sine passivo, puta cum aliquis inducit alium ad peccandum, et hic non consentit; quandoque vero est scandalum passivum sine activo, sicut supra dictum est. Ita S. Thom. loc. cit. ad 4. (n. 43.)

378. — **Resolutiones.** 1º **Admiratio**, indignatio, rumor, ac peccantis diffamatio, quae ex peccato alicuius in aliis excitantur, quamvis vulgo soleant scandalum vocari, huius tamen propriam rationem per se non habent. Ad scandalum requiritur noxa spiritualis, id est, peccatum grave aut leve, aut saltem imminutio virtutis, minor aestimatio Religionis aut ministrorum eius, maior libertas peccandi. Ceterum eiusmodi sequelae ex peccato publico plerumque oriri solent, praesertim si delinquens magna auctoritate vel pietatis existimatione gaudeat. (n. 44. Lib. 6. n. 257.)

2º Peccatum scandali esset, si quis aliquem ad peccandum sollicitaret, quem certo sciret non consensurum esse; quia malum directe suadet.

3º Peccatum coram aliis commissum tum solum scandali reatum habet, cum prudenter timetur ne quis ex eo moveatur ad peccandum. Nam si ii, coram quibus committitur, ita sunt perditis moribus imbuti, vel ita ex seipsis parati ad peccandum, ut non censeantur ad peccandum moveri ex peccato alterius, sed ex propria malitia, tunc peccatum scandali indirecti non committitur. Neque, si e contra sunt adeo stabiles in bono ut nullatenus censeantur pravo exemplo commoveri; quare dicitur scandalum non cadere in perfectos. (n. 44.)

379. — **Quaestiones.** **QUAER.** 1º *An sit peccatum scandali petere peccatum aliquod a proximo, PARATO ad peccandum, v. g. fornicationem a meretrice.*

**Resp.** Affirmandum videtur; nam inducitur alius ad rem malam nunc exsequendam, esto fuerit paratus ad peccandum; hic ergo novam ruinam sibi infert complendo illud particulare peccatum, quod secus non compleret. (n. 47.)

<sup>1)</sup> Quodsi intentio alterum adducendi ad peccatum huic manifestatur, ita ut alter explicite ad peccandum provocetur, scandalum est *inductio stricte dicta*. Haec distinctio magni momenti est in materia iustitiae, quia inducito obligat ad restitutionem, scandalum autem directum sine inductione ad eam non obligat. Cfr. tractatum de 7º praec. n. 765. 3º.

QUAER. 2º *An sit peccatum scandali MINUS MALUM SUADERE ad maius evitandum.*

*Resp. Controvertitur:* Prima sententia affirmat, ita ut non sit licitum; quia comparativum non tollit positivum; unde, qui suadet minus malum, vere suadet malum; hoc autem numquam licitum est. Excipe tamen, si minus peccatum est quodam modo pars imperfecta maioris peccati; quia tunc suadens non inducit alium ad peccatum, sed abducit a parte peccati, cum a toto avertere non potest. Hinc volenti aliquem occidere licet suadere ut mutile tantum; volenti adulterari suaderi potest fornicatio cum soluta, nullam tamen personam designando.

Altera sententia probabilius et communis distinguit. Adest peccatum scandali si simpliciter suadetur minus malum, etiamsi intendatur hoc modo praevenire maius malum. Hoc enim non obstante manet vera suasio mali, etsi minoris quam malum illud quod alter perpetrare vult. Intentio enim utpote qua talis mere interna non mutat naturam suasionis cuius obiectum malum est. Nam obiectum ex se malum ex fine bono non redditur bonum; neque facienda sunt mala ut eveniant bona. Non vero adest peccatum scandali ullumve aliud peccatum, sed neque vera et proprie dicta suasio mali, etiam minoris, si alter saltem ex adiunctis percipere valeat minus malum a parte suasoris sibi proponi non ut illud revera perficiat, sed ut avertatur a maiori malo a quo abduci se non sinit nisi tolerato malo minori. Tunc enim ex ipsis illis circumstantiis externis obiectum verum suasionis iam non est minus malum perpetrandum, sed maius malum omittendum, etsi tolerato malo minori. Hinc volenti aliquem occidere hoc sensu improprie suaderi potest ut ab eo potius furetur, volenti furari dici potest ut a divite potius quam a paupere furetur; dummodo scil. isti alio modo a peccato maiori abduci nequeant atque sensum suasionis percipient. (n. 57.)<sup>1)</sup>

Haec sententia tamen intelligenda est cum ea cautione, ut prudenter fiat, et nihil suadeatur in *damnum tertii designati*, v. g. volenti furari a Titio suadere non licet ut furetur a Caio, utpote ditiore; hoc quippe laederet iustitiam, cum Caius in designatione sua personae esset rationabiliter invitus. S. Alf. *Lib.* 3. n. 565; Lugo. *De iustit. disp.* 19. n. 43-49; Sporer. *tom.* I. *tr.* 4. *cap.* 3. n. 27, *tr.* 5. n. 59; Lehmk. I. 799 et 1197; *St. a. Maria Laach* 1911. p. 380. Cfr. supra n. 258. *qu.* 2. et infra n. 776. *qu.* 2.

## § II. - MALITIA SCANDALI ACTIVI.

380. — *Principia. I. Scandalum activum est peccatum mortale ex genere suo.* Ratio est, quia charitas vetat quominus proximum in peccatum inducamus, quod est omnium damnorum, quae ipsi inferri possunt, gravissimum; quare Dominus noster comminatus est in Matth. xviii. 7: « Vae homini illi, per quem scandalum venit. » — Eo gravior autem est illa culpa 1º *quo magis ruina proximi est intenta;* unde scandalum directum multo gravius est indirecto: 2º *quo efficacius movet in proximi ruinam:* ideo malum exemplum sacerdotis aut religiosi regulariter efficacius in ruinam

<sup>1)</sup> De hac controversia cfr. Bender O. P. in *Eph. Lov.* 1931. p. 594; 1934. p. 347; Cacciatore C. SS. R. in *Eph. Lor.* 1933. p. 618; Fabregas S. J. in *Per. de re morali.* 1932. p. 57. Bender oppugnat, duo alii defendunt sententiam communem. Fructus disputationis est distinctio ad mentem antiquorum in textum invecta.

aliorum tendit, quam malum exemplum laici; 3º quo gravior est ruina proximi: qua ratione imprimis nefandum est scandalum, quo innocentes animae puerorum et adolescentium corrumpuntur.

Dictum est: *mortale ex genere suo*; nam ex triplici capite potest esse peccatum veniale tantum, videlicet: 1º ex defectu sufficientis deliberationis; 2º ex levitate influxus quem actio exerceat in proximi ruinam; e. g. si quis pravum exemplum det personis quas novit non multum inde commoveri ad peccatum; 3º ex levitate materiae, nimirum si alteri praebatur occasio committendi peccatum veniale tantum. (n. 44. Konigs. n. 292.)

**NOTA.** 1º Peccatum ex genere suo veniale, v. g. si sacerdos semiebrius esset, potest aliquando grave scandalum praebere; et e converso, peccatum ex suo genere mortale potest nonnumquam leve tantum scandalum dare.

2º Dicta per se valent etiam de scanda<sup>lo</sup> dato per actionem quae de se in differens est, sed speciem seu similitudinem mali prae se fert. At tunc, si ratio agendi exponitur, scandalum evadit mere acceptum, de quo cfr. infra n. 382. seqq.

**II. Scandalum activum tam directum quam indirectum est speciale peccatum CONTRA CHARITATEM;** insuper scandalum directum et probabilius etiam indirectum est peccatum contra illam VIRTUTEM AD QUAM LAEDENDAM movet; scandalum autem DIABOLICUM saepe addit peccatum contra CHARITATEM DEI, quatenus facile ex vero odio Dei procedit. Dico 1º est speciale peccatum contra charitatem: quia directe opponitur tum aedificationi proximorum, tum correptioni fraternae, qua tenemur proximum a peccato removere; unde, sicut correptio est praeceptum speciale, ita peccatum ei contrarium speciale peccatum erit. Dico 2º est peccatum speciale contra illam virtutem, ad quam laedendam movet: quia quaelibet virtus non solum prohibet ne actus illi contrarios ipsimet ponamus, sed etiam ne alios ad eam violandam moveamus.

Haec porro valent non solum de scanda<sup>lo</sup> directo, verum etiam de indirecto; quia in moralibus voluntarium directum et indirectum ad eamdem speciem pertinent. Id ab omnibus admittitur quoad peccatum contra charitatem: plerique autem moderni auctores negant in scanda<sup>lo</sup> indirecto haberi peccatum contra virtutem ad quam laedendam proximus movetur. Ratio eorum est, quia relate ad hanc virtutem adest mera permissio voluntatis. At hoc negandum videtur; nam in scanda<sup>lo</sup> indirecto voluntas non solum non impedit violationem virtutis, sed fit causa (utique moralis) huius violationis.<sup>1)</sup> Hinc violatio virtutis fit ei in causa voluntaria; hoc autem sufficit ut effectus iste, sive reapse obtineat, sive non, novam speciem inducat, idque istius virtutis ad cuius laesionem movetur; quum quaque virtus non solum prohibeat quae ei directe, sed etiam quae ei indirecte adversentur;<sup>2)</sup> haec enim in ordine ad malitiam moralem aequivalent.<sup>3)</sup>

Imo peccatum scanda<sup>li</sup> etiam indirecti semper aliquam cooperationem sensu lato, saltem inefficacem, involvit ad peccatum alterius contra tales virtutem; cooperatio autem speciem sumit a peccato ad quod quis cooperatur.

Poenitens igitur non satisfacit confitendo se scandalum dedisse, sed addere debet cuinam peccato occasionem dederit, saltem ubi agitur de scanda<sup>lo</sup> directo. Hinc etiam

<sup>1)</sup> Marc. n. 507.

<sup>2)</sup> Cfr. 1. 2. qu. 73. a. 4. c.

<sup>3)</sup> Cfr. supra n. 42.

ille qui exemplo suo alios induxit ad furandum probabilius peccavit etiam contra iustitiam; non tamen tenetur ex hac parte ad restitutionem, quia exemplum illud non est inductio stricte dicta nec ergo sufficienter causa efficax damni, non eo nempe sensu quo requiritur, ut quis ad restitutionem teneatur. Cfr. infra n. 765. 3<sup>o</sup>. (n. 45.)

**381.** — *Quaestio. An in peccatis quae sine complice patrari non possunt, circumstantia inductionis sit in Confessione explicanda.*

*Resp.* Nonnulli affirmant. Alii vero probabiliter negant; quia uterque complex idem specie peccatum contra charitatem commisit, alter scandalum dando, alter cooperando; nam scandalum et cooperatio sunt peccata eiusdem speciei<sup>1)</sup>; utrumque enim adversatur charitati, quatenus haec praecipit, ut nihil conferamus ad ruinam spiritualem proximi. Inductio ergo non est nisi circumstantia intra eamdem speciem aggravans, quae non est necessario confitenda ut probabimus in libro VI; proinde peccatum satis accusatur confitendo solum actum patratum, v. g. fornicationem. (n. 46.)

### § III. - PERMISSIO SCANDALI PASSIVI ACCEPTI.

In hoc §, uti liquet, non agitur nisi de scandalo accepto, quod nempe oritur ex actione recta, h. e. quae nec mala est nec speciem mali prae se fert. Scandalum datum vitandum esse, per se patet, quia oritur ex scandalo activo. Scandalum acceptum interdum praecaveri debet, interdum permitti potest, interdum permitti etiam debet, prout sequentia principia declarabunt.

**382.** — *Principia. I. Scandalum tam pusillorum quam pharisaicum permitti DEBET, quando evitari nequit sine propriae salutis detimento vel alio gravi damno, praesertim communis, quod impedire debemus. Ratio est debitus ordo charitatis, qui postulat tum ut nos ipsos diligamus prae proximo tum ut grave damnum innocentis potius avertamus quam peccatum alterius libera voluntate patrandum. (n. 50.) — Extra easus praedictos valent principia sequentia:*

*II. Scandalum PUSILLORUM vitandum est, quantum sine gravi incommodo fieri potest; permitti potest, si sine gravi incommodo evitari nequit. Ratio prioris, quia charitas postulat ut peccata proximi, cum facile possumus, impediamus. Ratio posterioris est, quia charitas non obligat cum tanto incommodo. — Eo autem maior requiritur causa ad permittendum scandalum, 1<sup>o</sup> quo timeatur peccatum gravius, 2<sup>o</sup> quo certius praevideatur secuturum, 3<sup>o</sup> quo plures sint scandalum passuri. (n. 49.)*

*III. Scandalum PHARISAICUM permitti POTEST, si subsit aliqua causa agendi. Ratio est, quia hoc scandalum oritur ex sola proximi malitia; constat insuper exemplo Christi, qui scandalum Pharisaeorum contempsit: « Sinite illos: caeci sunt et duces caecorum. » (Matth. xv. 14.) Requiritur tamen aliqua causa; quia charitas postulat ut sine ulla causa non offeramus occasionem peccandi etiam peccaturo ex malitia.*

<sup>1)</sup> Lehmkuhl. 1. n. 786.

383. — **Regulae speciales.** Ex his principiis sequuntur quaedam regulae speciales, quas hic subnectimus.

I. EX PRINCIPIO PRIMO. Ad vitandum scandalum sive pusillorum sive pharisaicum non licet quidquam facere aut omittere, quod fieri aut praetermitti non potest sine peccato. Non licet ergo transgredi: 1º praecepta fidei, 2º praecepta ministrandi vel suscipiendi ea Sacraenta quae necessaria sunt ad salutem, 3º praecepta iuris naturalis. (n. 51.)

II. EX PRINCIPIO SECUNDO. Ob scandalum *pusillorum*: 1º Praecepta *legis positivae* certo saepius omittenda non sunt; ratio est, quia obligatio omittendi opera praecepta esset magnum incommodum. Probabilius autem semel iterumve omittenda sunt, saltem si dein scandalum iam cessabit; quia ab una parte, concurrente duplii praecepto, uno legis naturalis de impedieenda spirituali proximi ruina, altero legis positivae, per se praevalent praeceptum naturale; ab altera parte opus praeceptum semel ac iterum omittere non est magnum incommodum. (n. 51. 53; H. A. n. 28; Conf. dir. IV. n. 14.)

Verumtamen illi, qui *ex officio* tenentur peccata aliorum impedire, e. g. parentes, praecepta positiva omittere debent, et saepius quidem, si opus sit ad peccata filiorum impedienda.

2º Opera *de consilio* vel secreto adimpleri debent, ut scandalum vitetur, vel semel iterumve omitti, vel aliquamdiu differri debent, donec proximus, propositis agendi rationibus, instruatur; id quippe non est grave incommodum. Quodsi proximus scandalizari perget, incipit esse scandalum pharisaicum, quod non est curandum. (n. 50.)

3º Opera *indifferentia* similiter vel aliquoties omittenda, vel aliquamdiu differenda sunt, ut infirmitati proximi subveniatur; id enim non est notabile incommodum; diutius vero libertate sua privari, magnum evaderet incommodum. — Quodsi opera speciem mali habeant, agendi ratio exponenda est, quia secus esset scandalum datum; expositione autem facta, scandalum evadit mere acceptum.

4º Bona *temporalia* vel dimittenda sunt, si iactura levis esset, peccatum vero proximi, quod impediretur, esset grave, vel aliter scandalum est sedandum, scil. per admonitionem de iustitia actionis. Si, facta monitione, scandalum perseveret, erit pharisaicum.

Circa bona *aliena* administrator vel procurator idem facere tenetur; neque fas illi est ea dimittere, si alicuius momenti sint, nisi ex consensu domini, saltem rationabiliter praesumpto.

III. EX PRINCIPIO TERTIO. Propter scandalum *pharisaicum* non sunt opera bona omittenda nec temporalia dimittenda; ratio prioris quia opus bonum est ratio sufficiens non curandi scandalum tale; ratio alterius, quia hoc et noceret bono communi; daretur enim hominibus malis rapiendi occasio; et noceret ipsis raptoribus, qui retinendo aliena in peccato remanerent. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 43. art. 8. (n. 52.)

384. — **Resolutiones.** 1º Ob nullum scandalum vitandum licitum est mentiri, multo minus peierare. Pariter non licet verae fidei susceptionem omittere ob scandalum propinquorum haereticorum. (Cfr. princ. I.)

2º Puella, quae scit se turpiter concupisci ab aliquo iuvene, non tenetur, certe non saepius, auditionem Missae die festo omittere ne infirmus iuvenis ex

aspectu eius labatur. Si tamen, ob circumstantias brevi tempore mutandas, hoc scandalum mox cessaturum sit, suadendum saltem est ut semel ac iterum domi maneat. (n. 53. Lib. 3. n. 331. Cfr. princ. II. reg. 1<sup>a</sup>.)

3º Ingressus in Religionem differri quidem debet ob scandalum parentum aliorumve consanguineorum, si illorum consensus brevi speretur; sed si, propositis motivis, resistere pergent, ingressus exsecutioni mandandus est. (n. 50. Cfr. princ. II. reg. 2<sup>a</sup>.)

4º Puella decenter ornata valde probabiliter non tenetur, certe non sub gravi, evitare conspectum viri, a quo se turpiter amari novit; quia scandalum non est datum, sed ex adamantis malitia acceptum; ideo puella non tenetur se sua discurrendi libertate privare et incommodum subire semper expendendum iustum egrediendi causam habeat. Contra, graviter peccaret, si semel iterumve abstinendo a deambulatione, a publico conventu, libidinem illius viri abrumpere posset, et non facit, quamvis illi facile foret. Graviter quoque peccaret, si de industria sese eiusdem viri conspectui obiiceret; id enim malum finem proderet. (n. 53. Cfr. princ. II. reg. 3<sup>a</sup>.)

5º Non tenetur quis plus aequo solvere alicui operario, etiamsi praevideat eum, non obstante monitione de iustitia solutionis, esse blasphematurum; quia iactura illa, licet levis in se, saepius occurrere potest et sic in complexu gravis fieret. Similiter Parochus, per se loquendo, non tenetur iura stolae sibi debita remittere, quamvis parochianus, de obligatione sua satis conscient, in varias erumpat obtrectationes; inde enim grave incommodum, non modo ipsi Parochio, sed et successoribus eius contingere. (Cfr. princ. II. reg. 4<sup>a</sup>.)

Num Praelatus debeat aliquando bona Ecclesiae dimittere ob scandalum ingravescens populi, videat lector apud S. Alf. n. 52.

**385. — Quaestiones. QUAER. 1º An liceat a proximo PETERE OPUS, quod praestare quidem potest sine peccato, sed SINE PECCATO NON PRAESTITURUS praevidetur.**

*Resp.* Ob gravem causam licet, quia est scandalum acceptum. Sic ob gravem causam, puta notabile bonum, peti potest iuramentum a peieraturo, Sacramentum a sacerdote peccatore etc. — Quod si res sine notabili incommodo peti potest ab alio, qui sine peccato eam praestabit, utique grave peccatum erit petere ab eo, qui cum peccato paratus est praestare; charitas siquidem iubet ut, cum commode possumus, non cooperemur ad peccata proximi, etiamsi ea ex malitia sua commissurus sit. Ita S. Thomas cum communii, contra paucos. (n. 47. 49. 77. 79. et 80.)

**QUAER. 2º An liceat aliquando PERMITTERE peccatum alterius, non auferendo eius occasionem, etsi tolli possit.**

*Resp.* Licet propter bonum finem, qui possit permissionem peccati cohonestare; aliud quippe est facere malum ut eveniat bonum, aliud illud permittere. *Ita communiter.*

Hinc: 1º Potest maritus, suspicans adulterium uxoris, secreto eam observare, ut, si eam ream deprehendat, possit divortium facere, et tantam iniuriam a se propulsare. Non liceret vero marito pacisci cum uxore ut ficte consentiat amasio, ut sic amasium deprehendere possit: esset enim actio intrinsece mala.

2º Licet peccatum alterius permittere, ut deprehensus corrigatur. Unde parentes et heri possunt filii et famulis occasionem furandi permittere, ut de ipsis experimentum faciant, eosque castigent si deliquerint. (n. 58.)

QUAER. 3º *An liceat etiam ob bonum finem OFFERRE proximo occasionem peccandi.*

*Resp.* Si actio ex se est indifferens, probabiliter affirmatur; quia tunc non inducit ad peccatum, sed praebet tantum *occasionem* peccandi, permittitque peccatum alterius, quod ex iusta causa licitum est. Hinc possunt parentes et heri pecuniam exponere, clavem in area relinquere, ut subditorum probitatem experiantur. (n. 58.)

#### § IV. - CASUS SCANDALI.

Agemus: 1º de ornatu feminarum, 2º de imaginibus et statuis obscenis, 3º de pravis scriptis, 4º de variis casibus.

##### 1. *Ornatus feminarum.*

386. — Cultus corporis potest 1º intendi vel ad decorum status servandum, vel ad pulchritudinem ostentandam, vel ad virorum lasciviam provocandam; potest 2º in se esse vel moderatus, vel superfluos, vel immodestus. Quocirea statuuntur sequentia.

I. De ornatu moderato. 1º Quivis potest cultum corporis ad sui status decorum procurare, secundum morem patriae, ut nimirum pro conditione sua de core compareat.

2º Feminae matrimonio iunctae, vel ad coniugium adspirantes, possunt in cultu corporis etiam pulchritudinem intendere; uxores nimirum, ut a viris suis amentur, eos ab extraneis avertant, et ad opus coniugale aspectu sui allicit; hunc ad finem natura pulchritudinem in feminis posuit. Similiter eae feminae, quae nondum nuptiae sunt, sed nubere cogitant, possunt ornamenta pulchritudinis sibi adsciscere, ut virorum aspectibus placeant ad commidas nuptias consequendas. Ergo femina potest hac in re naturam arte iuvare, ita tamen ut modum non excedat.

3º Quodsi feminae sese ornent, non ut viris suis placeant aut sponsum inventiant, sed ex vanitate seu ostentatione, peccant venialiter. (n. 54. Lib. 3. n. 425; S. Thom. 2. 2. qu. 169. a. 2; Less. *De iustit. lib. 4. cap. 4. n. 107-109.*)

387. — II. De ornatu superfluo. 1º Excessus in ornatu, nempe supra conditionem status, per se non est nisi veniale peccatum. Ratio est, quia quando aliquid non est per se malum, excessus in appetitu vel usu illius per se non excedit culpam veniale, ut patet in appetitu et usu divitiarum, honorum et voluptatum.

2º Potest tamen in excessu ornatus esse peccatum mortiferum per accidens, propter aliquam pravitatem connexam; e. g. propter malum finem, uti si fiat animo alliciendi viros ad libidinem. (n. 55. Lib. 3. n. 425. S. Thom. loc. cit.)

388. — III. De ornatu immodesto. Immodestia in ornatu committi solet inter alia nudatione pectoris. Qua de re dicimus:

1º Si nudatio est *valde immoderata*, puta usque ad mammilarum nudationem, est per se grave scandalum; quia viros intuentes valde provocat ad libidinem.

2º Si non est adeo immoderata, cum nempe nudatur dumtaxat superior pectoris pars, licet notabiliter, grave peccatum esset huiusmodi morem introducere ubi non viget; insolita enim magis movent. Ubi vero exsistit ea consuetudo, non est de peccato mortali damnanda; quia pectus non est pars corporis in honesta, et consueta minus commovent passionem.

3º Tandem modica pectoris nudatio non est in honesta, neque scandalum praebet; ideo facile a culpa excusari potest.

Quae dicta sunt de nudatione pectoris, servatis servandis applicanda sunt nudationi aliarum partium minus honestarum, uti brachiorum et crurium feminae, item vestibus translucidis et nimis brevibus, vel ita arctis et tenuibus, ut tota corporis conformatio appareat.

Ceterum notandum est: a) Si confessarius non potest clare percipere num peccatum mortale sit, non debet praecipitare sententiam, ut mortale esse pronuntiet vel absolutionem deneget.

b) Mos ille indecens pectus notabiliter nudandi, tamquam illecebra libidinis, enixe a praedicatoribus et confessariis, quantum fieri possit, coercendus et abrogandus est; tanto magis quod feminae, quae hunc morem sequuntur, non raro quaerunt in honeste a viris appeti. (n. 55. Lib. 3. n. 425.) — Et idem dicendum de aliis modis vestiendi indecentibus etiam quoad pueros et puellas, eo vel magis quod hodierni isti modi propagantur intentione manifesto neo-pagana, atque pudorem muliebrem atque iuvenilem magis magisque obtundunt. Hinc praesertim parentes et educatrices, etiam religiosae, de officio suo hac in re rite instruendae sunt.<sup>1)</sup>

c) Multo magis decentia vestitus servanda est in Sacramentis recipiendis, in ecclesiis visitandis, in sacris functionibus assistendis, in conversatione cum personis ecclesiasticis et religiosis, in publicis congressibus catholicis, sive religiosis, sive socialibus seu charitativis. Cfr. can. 1262. § 2; N. K. St. 1920. p. 273, 1923. p. 290. Cfr. A. A. S. 1922. p. 678-79; 1930. p. 26.

### 389. — Quaestio. *Quantum peccatum sit vestes alterius sexus vel larvas induere.*

*Resp.* Est ex se peccatum veniale; quia dedecet, et potest esse causa lasciviae. Si quando iusta adsit causa, v. g. ad se occultandum, nullum est peccatum. Ex circumstantiis vero potest esse grave peccatum, si nempe fiat cum notabili scandalo, cum intentione aut proximo periculo libidinis, ut facile contingit in periculis conventiculis. (n. 52; S. Thom. 2. 2. qu. 169. a. 2. ad 3.)

### 2. *Imagines obscoenae.*

390. — I. Picturae et statuae obscoenae eae sunt, quae de se natae sunt ad turpitudinem provocare; tales autem esse possunt dupli modo: 1º propter scenam repraesentatam, cum nempe actio graviter turpis exhibetur; erunt autem leviter lascivae, si tantum actio nimis tenera et amatoria exhibeatur; 2º propter nuditatem, cum nempe apparent pudenda hominum sive nuda sive velo translucido cooperata; excipe tamen infantium imagines, quippe quae parum moveant. Non ergo erunt impudicae, si, tectis pudendis, reliquae partes aspectui exhibentur. (n. 56.) — Nostro aevo formae imaginum saepe lascivae seu sensuales sunt.

<sup>1)</sup> Cfr. Instr. S. C. O. de in honesto feminarum vestiendi more. (A. A. S. 1930. p. 26.)

Advertendum interim est, imagines naturali seu carnis colore pictas, multo magis, quam non sic pictas, libidinem commovere.

II. Grave scandalum committunt: 1º Pictores, sculptores, ac photographi, qui effingunt imagines vere obscoenas et communiter ad libidinem incentivatas. Excipe tamen, quando res pudendas pingunt ex iusta causa, v. g. ad scientiae anatomicae aut obstetriciae praesidium; imo tales imagines non sunt proprie obscoenae, quum ad turpitudinem *non provocent*. Cfr. Vermeersch. *De Castitate*. n. 181. — 2º Illi, qui eiusmodi imagines in officinis suis publice exponunt, vendunt. Possunt tamen vendi, at non publice exponi, pro scientia anatomica et obstetricia, iis qui tali scientiae incumbunt. — 3º Illi, qui obscoenas imagines, sive pictas sive sculptas sive impressas, in domibus aut hortis suis omnium oculis exponunt. (n. 56. H. A. n. 29. tr. 9. n. 8.) — 4º Item illi, qui prorsus impudicas circumferunt imagines photographicas, eas maxime, quae per stereoscopium conspicendi sunt.

**391.** — *Quaestio. An liceat artis causa picturas et statuas nudas eximiae artis exponere in musaeis et pinacothecis.*

*Resp. Negat.*, si publice exponuntur; quia multis sine dubio scandalum datur; videntur autem picturae et statuae impudicae, at eximiae artis, ab artificibus insignibus confectae, in aliqua aula seorsum exponi posse ea lege, ut non omnibus pateat introitus, sed solis artis peritis maturaee aetatis.

### 3. Libri pravi.

**392.** — Vix ullum hacce aetate perniciosius est scandalum, quam illud, quo nefandi scriptores incautis hominibus eripiunt non Dei gratiam tantummodo, sed fidem quoque, qua ad Dei gratiam redire valeant. Hinc gravissimum scandalum praebent: 1º Auctores et editores pravorum librorum, diariorum, aliorumve scriptorum. — 2º Librarii, vel quivis alii, qui eiusmodi libros aut diaria cuiilibet vendunt aut legenda procurant, et sic venenum animarum divulgant; item illi, qui in bibliothecis, ad commodandos libros erectis, omnium usui exponunt opera venenata. — 3º Illi qui in scholas introducunt perniciosa docendi rationem aut libellos periculosos. — 4º Qui pueris tradunt libros, esto in se non malos, sed materiam pertractantes, cuius cognitio ipsis, pro naturali eorum innocentia ac sensibilitate, per se offensioni esse putatur. (Konings. *Theol. Mor.* n. 295.)

**393.** — *Quaestiones. QUAER. 1º An typis committi possint libri, qui partim boni et partim mali sunt.*

*Resp. Negat.*, generatim loquendo, nisi accurate expurgati fuerint; quia non sunt facienda mala ut eveniant bona. Si tamen graviter mali non sint, non erit graviter illicitum. In dubio editores consulant doctos sacerdotes, ecclesiasticos praesertim Superiores. (Gury. *Comp. Theol. Mor.* tom. I. n. 241.)

*QUAER. 2º An pravi libri interdum vendi possint.*

*Resp.* « Librorum venditores *libros de obscoenis* ex professo tractantes ne vendant, commoden, retineant; *ceteros prohibitos venales* ne habeant, nisi debitam licentiam a Sede Apostolica impetraverint, neve cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti. » Ita can. 1404.

*QUAER.* 3º *An eiusmodi libri commodato accepti, domino reddi possint.*

*Resp.* *Negat.*, sed destruendi sunt, nisi prudens timor gravis incommodi aliter suadeat, e. g. si graves rixae, blasphemiae, odia, aliaque huiusmodi a domino timenda sint. Contristatio, vel etiam timor dissolvendae amicitiae non censemur sufficiens ratio, plerumque saltem, pravos libros amico reddendi. (*Gury. loc. cit.*) Vide plura in tractatu de Sacram. Poenit. *tom. II. n. 505-508*, et infra *n. 406*.

### *Casus varii.*

394. — Gravis scandali illi quoque rei sunt: 1º Qui detestabilem habent consuetudinem blasphemandi, praesentibus omnigenis personis, praesertim iunioribus.

2º Qui componunt, divulgant, aut publice cantant cantilenas aut carmina turpia.

3º Qui instituunt ac protrahunt, sive verbis claris sive aequivocis (ab audiencibus tamen satis intellectis), sermones graviter impudicos.

4º Auctores, actores et actrices scenarum, in quibus nec Religioni parcitur nec virtuti, nec matrimonii sanctitati. Item auctores pravae exhibitionis cinematographicæ, qua iuvenes praesertim excitantur tum ad luxuriam, tum ad alia gravissima crimina. Item saltatrices chorearum scenicarum, quae inter actus miscentur, utpote in quibus ob vestitum saltaticum, obscenos saltandi modos, aut lascivas gesticulationes, maxima apparere solet turpitudo. Cfr. de cetero tractatum de Poenitentia. *tom. II. n. 495.*

5º Clerici, qui domi retinendo personam populo suspectam, ansam praebent peccatis detractionis, calumniae, et contemptus status clericalis. Idem dicendum de marito quoad ancillam uxori non sine ratione suspectam.

6º Feminae coniugatae, quae venustulos suos amasios ad familiaria colloquia admittendo, offensioni sunt maritis suis, aliisque, sicut docet experientia.

7º Parentes, qui filiabus suis permittunt conversationes solitarias, praesertim in sero, cum amasiis et sponsis; atque idem de heris est dicendum quoad famulos aliosve domesticos. (*Konings. n. 295.*)

### § V. - REPARATIO SCANDALI.

395. — *Principia. I.* *Qui scandalum dedit proximo, tenetur, meliori quo potest modo, scandalum datum tollere seu reparare.* Ratio patet: si quisque enim tenetur proximum eruere ex peccato vel ex periculo peccati, multo magis ille qui horum occasio fuit.

Ad scandalum reparandum oportet: 1º tollere ulteriorem eius progressum, si adhuc rationabiliter timendus est; quod saepius contingit, ubi agitur v. g. de scandalo Superioris erga subditos, vel de scandalo dato per iussionem, consilium, pravi libri divulgationem et similia; — 2º procurare illius, qui scandalum passus est, revocationem ad poenitentiam.

*II.* *Obligatio reparandi scandalum datum oritur EX SOLA CHARITATE, si quis solo suasu aut malo exemplo proximum seduxit, quia scienti et volenti non fit iniuria; EX IUSTITIA vero, si medio iniusto, sc. vi, metu aut*

dolo, induxit alterum in peccatum; quia intulit alteri invito damnum iniustum. (*Lib. 3. n. 662.*)

Superiores porro, si scandalum dederint subditis suis, quorum bono spirituali consulere debent, tenentur etiam *ex officio* illud reparare.

III. *Qui praebuit scandalum PUBLICUM, tenetur PUBLICE quoque illud reparare.* Ratio est, ut reparatio iis omnibus innotescat ac prospicit, quibus scandalum datum fuit.

396. — **Resolutiones.** 1º Qui aliis scandalum dedit per iniqua consilia adhuc efficacia, ea contra posse inefficacia reddere debet per sedulam revocationem, iisdem per seipsum vel alium notificandam.

2º Paterfamilias, qui scandalizavit domesticos, tenetur ordinarie, ad reparandum scandalum, si adhuc efficax censeatur, iisdem domesticis manifestare disponentiam de malo exemplo suo eosque paterne adhortari, ne illud in posterum sequantur.

3º Qui falsa doctrina alios seduxit in rebus fidei vel morum, tenetur errorem revocare, etiamsi seductus non peccaret formaliter; quia adhuc gravem iniuriam intulit, cui non raro magnum damnum adnexum est.

4º Malus Auctor, qui haereticis, impiis, aut obscoenis libris multos corrupit, tenetur *publico* scripto aliisque mediis opportunis quoad moraliter potest, prava sua scripta retractare eorumque ulteriore diffusionem impedire.

5º Concubinarius publicus tenetur *publice*, relicto prius turpi suo commercio, cum devotione accedere ad Sacraenta.

6º Scandala ordinaria plerumque satis tolluntur generali illa reparatione quae continetur in ipsa cessatione a scando, in praestatione boni exempli, in oratione pro scandalizato et similibus. (*Konings. n. 301.*)

### *Articulus III.*

#### *Cooperatio.*

Materia hoc loco pertractanda summi est momenti, cum in praxi frequentissima sit atque simul perardua, adeo ut non semel Theologum et Confessarium suspensum detineat. S. Alfonsus huic materiae, sicut multis aliis, maximum lumen attulit, cum ipse primus accuratam cooperationis formalis et materialis notionem dederit.

Agemus: 1º de notione et malitia cooperationis; 2º de causa cohonestante cooperationem materiale; 3º de variis casibus cooperationis.

#### § I. - NOTIO ET MALITIA COOPERATIONIS.

397. — **Notio.** *Sensu latiori* cooperatio ad peccatum alterius intelligi potest quivis concursus ad peccatum alterius, sive moralis sive physicus sive aequae principalis sive subordinatus; *sensu strictiori* autem, prout hic sumitur, est concursus sive physicus sive moralis ad pravam actionem alterius principaliter agentis i. e. iam determinati ad agendum.

Sic ergo differt cooperatio sensu stricto a scandalo, quod supponit proximum actum ad peccandum non determinatum, sed actione scandalum dantis ad peccatum movendum. Insuper scandalum ne latiori quidem sensu est cooperatio, si peccatum proximi de facto non sequitur. Saepe autem in eadem actione tum ratio scandali tum ratio cooperationis invenitur.

**398. — Divisio.** Cooperatio distinguitur in cooperationem formalem et materialem. 1º *Cooperatio formalis ea est quae concurrit ad FORMALE PECCATI alterius, seu ad ipsius malam voluntatem*, ita ut necessario includat consensum in ipsum peccatum.<sup>1)</sup> Hoc autem contingere potest dupliciter: a) *ex fine operis*, quando quis operam praestat, quae ex natura sua ad solum peccatum ordinatur; tunc enim necessario implicite dat consensum in peccatum; nam finis operis intrat in essentiam rei; qui ergo vult rem, necessario vult finem operis. b) *Ex fine operantis*, quando quis operam praestat, esto in se indifferentem, ea praecise intentione, ut alter pravam voluntatem suam exsequatur seu facilius exsequatur.

In utroque casu peccatum proximi cooperatori est directe et in se voluntarium, in primo casu ex natura actionis, in altero ex intentione agentis. Hinc cooperator dicitur in utroque casu concurrens ad *malam voluntatem* alterius, quum in utroque casu revera directe procuret et saltem implicite intendat ipsius malae voluntatis executionem.

Iuxta dicta est cooperatio formalis ex fine *operis* in lucem edere libros contra religionem, iussu heri invitare concubinam ut rem cum domino habeat, committere fornicationem, fabricare idola qua talia, etc.<sup>2)</sup> Est cooperatio formalis ex fine *operantis* arma vendere alicui ea intentione ut inimicum occidere possit.

2º *Cooperatio materialis ea est, quae concurrit tantum ad MATERIALE PECCATI seu ad malam actionem alterius et non ad malam voluntatem*<sup>3)</sup>; i. e. ea quae, licet ad exsequendum opus peccati de facto inserviat, tamen non includit consensum formalem in peccatum alterius. Hoc autem contingit quando quis absque mala intentione operam praestat de se indifferentem, quae non natura sua ad solum peccatum ordinatur, sed tam bono quam malo usui inservire potest, at qua alter abutitur ad peccandum.

Materialiter cooperanti peccatum alterius numquam est directe voluntarium, sed est ei aut indirecte seu in causa voluntarium, aut mere permissum tantum, prout adest proportionata causa coherentes hanc cooperationem vel non adest.

Sic. v. g. est cooperatio materialis cibos parare, quibus herus abutetur ad ieunii legem violandam; equum vel currum parare pro hero, qui iis atque famuli opera abutetur ut ad concubinam se conferat; arma aut mundum muliebrem vendere, quibus plures abutuntur; omnes enim huiusmodi actiones non necessario includunt consensum in peccatum, cum ex se indifferentes sint, ideoque tam bono quam malo usui inservire possint.

Cooperatio materialis subdistinguitur in *proximam* et *remotam*, prout materia vel medium peccandi, quod praestatur, proxime vel remote conductit ad peccati executionem.

<sup>1)</sup> S. Alf. l. 2. n. 63. Cfr. der Katholik 1876. II. p. 343-351; Zeitschrift für kath. Theol. 1879. p. 495. segu.

<sup>2)</sup> Cfr. 2. 2. qu. 169. a. 2. ad 4.

<sup>3)</sup> S. Alph. l. c.

**399.** — *Principia. I. Cooperatio FORMALIS ad peccatum alterius SEMPER intrinsece mala est, atque ideo numquam licita. Ratio est quia sive ex fine operantis, sive ex fine operis includit consensum in peccatum alterius et ad ipsum peccatum seu malam voluntatem eius promovendam ordinatur.* (n. 63. S. Th. 2. 2. qu. 169. a. 2. ad 4.)

*II. Cooperatio MATERIALIS ad peccatum alterius PER SE est illicita; PER ACCIDENS, ex iusta scil. et proportionata causa, licita evadit. Ratio prioris est, tum quia ex charitate tenemur peccatum proximi, si commode possumus, impedire ideoque certo non promovere, ne indirecete quidem et per accidens; tum quia talis cooperatio ipso facto includere censetur consensum saltem indirectum in peccatum.* (cfr. supra n. 26 et 58.) — *Ratio alterius quia iusta et proportionata causa excusat tum ab obligatione charitatis, tum ab obligatione non permittendi effectum malum.* (n. 59. 63.)

Liceitas igitur cooperationis materialis pendet ex concursu harum trium conditionum: 1º ut actio in se bona sit vel saltem indifferens, 2º finis sit honestus, 3º adsit causa iusta et proportionata.

*III. Cooperatio tam formalis quam materialis illicita, peccatum est tum contra CHARITATEM, tum contra VIRTUTEM cui peccatum proximi adversatur. Quoad charitatem patet ex ratione primi principii et ex prima ratione principii secundi. Quoad alterum patet ex eo quod peccatum proximi in casu cooperatori est sive directe sive indirecete voluntarium. Iamvero, si ei est directe voluntarium, liquet cooperationem induere speciem huius peccati; voluntarium autem directum et indirectum in ordine ad malitiam moralem aequivalent; hinc probabilius etiam cooperatio materialis illicita speciem peccati cui concurritur, induere videtur. Cfr. supra n. 380. II.*

## §. II. - CAUSA COHONESTANS COOPERATIONEM MATERIALEM.

**400.** — *Principium. Causa coherestans cooperationem materialem debet esse proportionata tum ad PERSONAM cooperantem, tum ad MODUM cooperationis, tum ad PECCATUM cui exsequendo opera praestatur. Hae enim sunt actionis circumstantiae quas respicere debet prudentia, cuius est determinare quaenam causa in casu particulari cooperationem materialem coherestet.*

Unde: 1º *quoad personam cooperantem* multo maior causa requiritur ad coherestandam cooperationem illius, qui *ex officio* tenetur alterius peccatum impedire. (cfr. supra n. 366. sub VII.)

2º *Quoad modum cooperationis* spectari debet tum necessitas, tum propinquitas cooperationis. Tanto maior igitur causa requiritur a) quanto probabi ius est fore ut, negando cooperationem, peccatum impediatur; si ergo alii non deerunt, qui cooperaturi sunt, minor causa sufficit; b) quanto certius aliquis scit auctorem principalem opera praestita abusurum esse; si ergo hoc timet aut suspicatur tantum, minor causa sufficit; c) quanto cooperatio peccatum proprius

attingit. Sic maior exigitur ratio ad conficiendum alteri instrumentum quo abutetur ad peccandum, quam ad vendendam materiam qua ipse conficere potest instrumentum.

3º *Quod ipsum peccatum spectari debet: a) gravitas eius; sic maior causa requiritur ad cooperandum ad homicidium quam ad furtum; — b) damnum alii inferendum. Quare graviori causa opus erit, si peccatum alterius est contra iustitiam quam si est contra aliam virtutem; in illo enim innocens invitus damnum patitur, in hoc autem solus peccans propria voluntate detrimentum spirituale subit.* (n. 59. H. A. n. 32, Sanch. *Decal. Lib. 1. cap. 7. n. 12.*)

**401. — Regulae speciales.** I. *Cooperatio materialis SEMPER LICITA EST, si fiat ad maius malum avertendum;* unde v. g. licet potum dare ebrioso petenti, qui, si potus ei negetur, blasphematurus est.

II. *Cooperatio PROXIMA ad actionem, quae bono publico, sive Religionis sive Reipublicae, graviter nociva est, propter nullum damnum privatum a peccato mortali excusatur.* Esset enim ordinis perversio, si bonum privatum publico et communni bono anteponeretur.

III. *Ceterum cooperatio PROXIMA ad peccatum alterius, ut licita evadat praecipue si ad peccati executionem necessaria est, requirit metum gravis damni,* e. g. metum dimissionis e famulatu cum periculo non inveniendi alterum, metum iacturae notabilis in bonis fortunæ. Imo, si cooperatio tertio innocentis graviter damnosa est, requiritur metus damni saltem aequalis. (n. 66. *in fine*, cum nota f. in ed. Gaudé. *Lib. 3. n. 571. 597.*)

IV. *Cooperatio REMOTA excusatur ob causam mediocrem,* v. g. ob conditionem famulatus, ob statum subiectionis erga iubentem, ob iacturam vendoris. — Verumtamen, si spes sit fore ut negando auxilium peccatum impediatur, cooperatio non excusatur, nisi ob metum notabilis detimenti. Ita DD. passim.

Quodsi cooperatio remota tertio innocentis damnosa est, requiritur metus damni aequalis.

### § III. - CASUS COOPERATIONIS.

**402. — Principiorum et regularum applicatio ad casus singulares in hac materia cooperationis præ ceteris difficultatem habet.** Cardo huius difficultatis situs est in discernendo 1º quae actiones in se indifferentes sint, quae vero ad malum determinatae; 2º quae actiones proxime, quae vero remote tantum conferant ad peccati perpetrationem; 3º quando causa sit iusta et proportionata ad excusandam cooperationem materialem. De hisce non raro dissident DD. inter se; et S. Alfonsus, loquens de iusta et proportionata causa, scripsit in H. A. n. 32: « *Ante omnia pro regula sit observare quod dicunt DD.; quia, cum hoc pendeat a prudentum aestimatione, sententia in hac materia communior erit etiam probabilior.* »

*1. Cooperatio famulorum et infirmis inservientium.*

403. — QUAER. 1º *An liceat famulis CIBOS VETITOS PARARE et ministrare heri suis legem Ecclesiae violentibus.*

*Resp.* Si constat de peccato heri legem violentis, sola ratio famulatus eos non excusat, sed requiritur ut sine aliquo notabili incommodo negare non possint; quia, licet haec obsequia ex se indifferentia sint, proxime tamen dominorum peccatum attingunt. In dubio praesumere possunt herum causam a lege excusantem habere. In praxi autem raro deerit sive dubium sive notabile detrimentum. (n. 68.)

QUAER. 2º *An et quomodo liceat famulo cooperari ad heri LIBIDINEM.*

*Resp. Dist.* 1º Numquam licet praestare servitia quae *natura sua* ad turpitudinem determinata sunt, v. g. concubinam invitare ut rem cum domino habeat, litteras deferre turpia continentis.

2º Servitia quae materialiter sed *proxime* ad heri turpitudinem concurrunt non potest praestare propter solam rationem famulatus, sed tantum propter aliam causam, graviorem vel minus gravem pro diversitate casus. (cfr. prop. 51 damn. ab Innoc. XI.) Sic metus notabilis damni requiritur ut liceat concubinam rheda adducere in domum heri, herum comitari ad locum turpitudinis, humerum praebere ascendendi ad non-invitatam. — Causa vero gravissima, imo metus mortis requiritur, ut ei liceat adiuvare herum, humeros subiiciendo vel ianuam vi apriendo, dum herus vult ascendere ad virginem stuprandam: sola enim vita famuli praevalet virginis honori.

3º Servitia quae materialiter et *remote* tantum concurrunt, excusantur sola ratione famulatus. Huc refertur: ostium aperire concubinae, equum sternere hero quem novit ad fornicandum exire etc. (n. 64-67. Marc. n. 521.)

QUAER. 3º *An liceat aurigis aliquem VEHERE AD LUPANAR.*

*Resp.* Non licet pro sola mercede lucranda; sed tantum ob grave damnum vitandum; dummodo tamen, addiderim, eo non deducant aliquem qui ignorat, ubi sit prostribulum. (n. 75.)

QUAER. 4º *An liceat famulo operam praestare mercatori IN VENDENDIS REBUS QUAE SOLI PECCATO DESERVIUNT.*

*Resp.* Per se negative, quia est positiva cooperatio ad peccatum. At ubi harum rerum venditionem declinare nequeat et monitio de illiceitate venditionis incasse praecesserit, licitum fieri potest si adest gravis ratio, puta si famulus aliud medium sustentationis invenire nequeat. Etenim quamquam ipse mercator, qui res illas venales exhibit et vendere studet, formalis cooperationis reus censendus est (cfr. infra n. 405 *qu. 1º*), famulus tamen qui simpliciter res illas exhibit potentibus saltem in circumstantiis praedictis nonnisi materialiter ad domini sui et emptorum peccatum cooperatur. Quae quidem materialis cooperatio ex gravi ratione licita fieri potest, praesertim si cooperatio non est necessaria, ita ut dimisso famulo venditio nihilominus in tali loco continuaretur. — Diximus *potest*; nam gravitas mali et scandalum coniunctum possunt esse tanta, ut ratio sufficiens numquam vel vix umquam haberi possit, puta si agatur de tabernis quae ex professo, utut sub praetextu hygienico, media sic dicta neo-malthusiana annuntiant et exponunt.

QUAER. 5º *An liceat aliquando materialiter concurrere ad OPERATIONES CHIRURGICAS VEL ALIAS MEDICORUM ACTIONES ILLICITAS, uti sunt directa abortus procuratio, oraniotomia, iniectionis morphii apud moribundum in statu peccati mortalis, etc.*<sup>1)</sup>

Solutio casus pendet praeterquam e gradu cooperationis etiam e conditione personarum quae cooperantur et e sequelis ipsius operationis chirurgicae. Quia in re cooperatio magis vel minus proxima censenda erunt: ministratio chloroformii aliorumve mediorum ad insensibilitatem seu anaesthesiam producendam, praeparatio corporis et instrumentorum eorumque porrectio, delatio infirmi in locum operationi destinatum, porrectio (non ipsa iniectionis) morphii quando iniectionis illicita est, etc. — Cooperatio remota erit v. g. susceptio infirmi in clinicam cum praevisione operationis illicitae. Hisce praemissis sic dicendum videtur:

Resp. 1º Numquam talis cooperatio tolerari potest si ex ea salus aeterna infirmi vel alterius (puta foetus in utero matris) periclitatur; ut si ex una parte per actionem chirurgicam spes salutis aeternae tollatur vel minuatur, ex altera parte denegato concursu operatio chirurgica locum non habeat.

2º Extra hunc casum requiritur causa sat gravis eaque tanto gravior quanto propinquior erit concursus. Excusari possunt etiam ii qui valde proxime concurrent si secus e servitio dimitterentur cum magno periculo per multum tempus carenti medio sustentationis. Pari modo si secus baptismus foetuum abortivorum omittentur. Semper tamen scandalum praeacaveatur.

Multo difficilius cooperatio personarum religiosarum quam laicarum tolerari potest, ob scandalum quod illae facilius quam istae praebent. Excusari tamen potest si secus personae religiosae opem suam in nosocomiis publicis iam nullo modo praestare possent indeque plura mala graviora orientur, ut decessus complurium sine Sacramentis. Quantum vero id sine graviori damno fieri potest, in singulis casibus etiam tunc assistentia, praesertim proxima, evitetur aliisque servientibus relinquatur; atque curandum ut medici intelligent assistentiam talem non implicare operationis approbationem. Medico privatam habenti clinicam personae religiosae operam suam ne promittant nisi sub conditione ut numquam petatur assistentia per se illicita; in hospitio religiosis proprio debitas cautions adhibeant ne umquam medius admittatur vel vocari possit eo in casu in quo praevideatur eum illicita esse peracturum. Cfr. Vermeersch *Mor.* II. n. 139.

## 2. Cooperatio cauponum.

404. — QUAER. 1º *An liceat cauponibus vinum aliumve POTUM EBRIAMENTEM VENDERETE iis quos eo ebriandos esse praevident.*

Resp. Si sine iusta causa peccatum proximi non impediunt, potum ei negando, peccant mortaliter. Iusta porro causa non est lucrum ex eo cessans, cum non sit tanti momenti; sed est vel metus gravioris mali, e. g. blasphemiae aut gravis rixae, metus gravis detrimenti, puta si alias notabiliter laederentur ex diminutione emptorum. *Ita communiter.* (n. 69.)

QUAER. 2º *An liceat cauponibus diebus ieunii aut abstinentiae CIBOS VETITOS MINISTRARE.*

<sup>1)</sup> Cfr. infra n. 568. II. 576. 581; supra n. 259. 260.

*Resp. Dist.* 1º Quando nesciunt utrum hospites a lege excusati sint neque, potentibus possunt cibos ministrare; nam eorum non est hospites discutere, nec commode id efficere possunt. Quando vero sciunt hospites a lege non excusari, non possunt cibos vetitos ministrare, nisi ex gravi causa. (*n.* 80. *Lib.* 3. *n.* 1030. *qu. 3.*)

Quum porro in praesenti rerum statu impossibile esset, saltem multis in locis, cauponam exercere sine ciborum vetitorum ministratione, ex dictis colligimus: *a)* In locis, ubi consuetudo viget, possunt caupones cibos vetitos apponere, si hospites eos petunt; non autem licet sponte apponere non potentibus, quippe quod esset illos ad illicita invitare. *b)* Possunt mensam communem hospitum (gallice *table d'hôtes*) cibis licitis simul et illicitis struere, ut dent optionem, unumquemque conscientiae suaee relinquentes. *c)* Numquam licet cibos vetitos dare, quando in contemptum Religionis petuntur.

2º Quod attinet ad eos, qui paucos apud se habent convictores (*pension*), pretio per singulas hebdomades vel menses accepto, illi non facile debent cibos vetitos apponere convictoribus istis, etiam potentibus si Catholici sunt, quia in domo privata difficilius occurrit ratio iusta cooperandi ad legis violationem. Protestantibus vero bona fide exsistentibus eos multo facilius apponere licet; quia ob ignorantiam ad summum committunt peccatum materiale; imo iuxta plures legie non tenentur. (Cfr. supra *n.* 148.)

3º Facilius possunt diebus ieunii cibos licitos apponere ad ientaculum et ad coenam; quia multi habent causam excusantem a rigore ieunii; ideo quemque relinquere possunt conscientiae suaee. (Konings. *n.* 310.)

QUAER. 3º *An liceat cauponibus PRAVA DIARIA legenda exponere.*

*Resp. Dist.* 1º Si sunt *ex professo* prava, i. e. si data opera religionem impugnant vel errorem tuentur, nequaquam licet; quia damnum temporale et pri- vatum nequit esse causa proportionata ruinae spirituali multorum hospitum.

2º Si *non ex professo* prava sunt, ob causam gravem licet. Porro adiuncta hodieum talia sunt, ut in magnis urbibus causa gravis passim habeatur, metus nempe ne hospites ad hospitium confluere desinant cum notabili domini hospitii damno. Hic autem curet ut simul bona diaria exponantur.

### 3. *Cooperatio mercatorum.*

405. — QUAER. 1º *An liceat mercatoribus merces suas vendere, etiamsi emptores iis abusuri sint ad peccandum.*

*Resp. Dist.* 1º Vendere res *indifferentes*, quae ad bonum usum destinari solent, eo ipso licitum est quod *non constet* venditori de mala intentione emptoris. Ratio est, quia mala intentio praesumenda non est. Hoc valet, etiamsi venditor dubitaret de intentione; quia in dubio nemo praesumendus est malus, sed potius bonus. Venditor ergo non tenetur intentionem emptorum discutere. — Licet ergo vendere aleas, arma, pigmenta, mundum muliebrem, et similia, quamvis aliquot personae iis abutantur. (*n.* 71.)

2º Si venditor *sciat* emptorem rebus male usurum esse, tenetur si sine notabili detimento possit, eas non vendere; imo, si appareat emptorem iis abusurum esse in damnum iniustum tertii, requiritur metus damni fere aequalis. — Hinc non licet ornatus vendere puellae, quam venditor *novit* iis abusuram esse ut viros

ad libidinem incitet, nisi alioquin notabile pateretur incommodum.<sup>1)</sup> Non licet nisi ad vitandam propriam mortem arma tradere ei qui illis abuti intendit ad aliquem occidendum. (*n.* 76. *Lib.* 3. *n.* 571. 697.)<sup>2)</sup>

3º Vendere res, quae ad malum usum destinari solent, non licet, nisi venditori constet emptorem eis usurum esse ad bonum finem. Ratio est, quia talium venditio, nisi constet de bono usu, moraliter certo praebet occasionem peccati, atque ideo est cooperatio illicita. Eiusmodi res sunt claves falsae, venena, et similia.

4º Vendere res, quae soli peccato deserviunt, numquam licet. Sic semper peccatum est vendere ornatum mulierum de se obscoenum, instrumenta solum ad generationem impediendam apta, pharmaca unice ad procurandum abortum inservientia.

*QUAER.* 2º *An liceat vendere vel locare domum MERETRICIBUS.*

*Resp.* In civitatibus, in quibus vitandi maioris mali causa Magistratus permittit lupanaria, licet, maxime si alii conductores desint; quia legitima illa permissione excusat. Atvero, si domus propter situm aptior esset ad alliciendos viros, vel vicinia lupanaris valde noceret honestis viciniis, non liceret eam vendere vel locare meretricibus, si sine gravi incommodo aliis locari aut vendi posset; quia tenemur, quantum possumus, et peccata impedire et damna aliorum. (*n.* 70.)

Ceterum improbandus esset et male audiret apud probos, quisquis, dum domum locare aut vendere utcumque posset personis boni nominis, eam locaret vel venderet meretricibus. Confer infra *n.* 603.

*QUAER.* 3º *An liceat domum locare aliis perditis hominibus, qui ea ABUSURI sunt in DAMNUM PUBLICUM.*

*Resp.* *Negat.*, tum quia non subsistit ratio maioris mali vitandi; tum quia lucrum temporale non est causa iusta permittendi spiritualem perniciem multorum hominum. Unde non licet aedes locare hominibus, qui ibidem iugiter facturi sunt pravos ludos, nec sectariis Massonibus aut Socialistis, ad conventus suos habendos.

#### 4. Cooperatio ad prava scripta.

**406.** — *QUAER.* 1º *An liceat pravis libris, diariis, aliisve scriptis imprimendis operam praestare.*

*Resp.* 1º In officinis typographicis ad malum finem unice vel principaliter erectis impressioni cooperari nullatenus licitum est; hinc non licet ibi typos componere, prelum versare, chartam prelo supponere, corrigerem folia impressa; quia haec actiones proxime concurrunt ad editionem librorum pravorum, cum summo damno publico. Cfr. *Marc.* *n.* 524.

Similia peragere in officinis in quibus solummodo per accidens una alterave vice pravus liber typis mandatur, ex gravi causa licitum videtur.

2º Chartam praeparare, libros iam impressos ordinare vel compingere, licitum erit ex gravi causa; haec actiones ex se indifferentes sunt et remote ad impressionem et lectionem pertinent.

<sup>1)</sup> Cfr. *Vind. Alph.* part. 2. qu. 8.

<sup>2)</sup> Alibi scilicet *n.* 66 in fine, et *H. A.* tract. 4. *n.* 32, tract. 10. *n.* 56 et 116, S. Alfonso docet numquam licitum esse tradere gladium occisuro. Verumtamen reformata S. Doctoris sententia est, quam in textu exposuimus; nemo tenetur vitam alterius tueri cum propriae vitae dispendio.

Ad haec addo: 3º Chartam et utensilia vendere pravis typographis licitum est; quia haec cooperatio valde remota est, et eius negatio fabricatoribus notabile detrimentum afferret.

QUAER. 2º *An liceat scribere in pravis diariis et ephemeredibus.*

Resp. *Dist.* 1º Redactores et collaboratores, qui secundum prava principia folium redigunt, et in eo scribunt, absque dubio formaliter cooperantur ideoque semper peccant.

2º Collaboratores ordinarii, qui articulos ex se indifferentes scribunt, materialiter cooperantur et quidem plus minusve proxime, prout eorum articulis folium plus minusve commendatur et propagatur; quare solum causa plus minusve gravis a peccato eos excusat, quale certe non est maius lucrum, quod inde percipiunt, sed solum lucrum, quo ad propriam et suorum sustentationem indigent. Imo casus occurrere potest v. g. quando folium solum ob hos articulos legeretur, ut nulla ratione cooperatio cohonestari posset, quia esset in malum commune. Insuper scandalum praecavendum est ex notitia cooperationis forte oriundum.

3º Collaboratores extraordinarii, qui interdum tantum articulum folio pravo inserunt, remote cooperantur; ideoque causa mediocriter gravis ab hac cooperatione excusat. Ita Noldin II. n. 124. Requirit insuper can. 1386. § 2, ut haec causa ab Ordinario loci probetur.

QUAER. 3º *An liceat res suas vendendas, locandas, etc. in pravis diariis ANNUNTIARE.*

Resp. *Negat.* per se: est enim cooperatio materialis. Causa cohonestans maior esse debet quo magis eiusmodi annuntiationibus folium commendatur. Porro singulae annuntiationes ordinarie non multum ad id conferunt.

Consulendum foret, ut mercatores Catholici mutuam conventionem inirent, qua nuntia sua pravis diariis non committant. (Lehmkuhl. n. 823.)

QUAER. 4º *An liceat subsidia conferre AULIS CUIQUE PATENTIBUS, ubi omne genus libri exponuntur.*

Resp. Per se loquendo negative; est enim cooperatio ad rem quae pessimas habet sequelas et in malum commune cedit. Non autem videtur cooperatio formalis, nam pecunia collata tam ad bonos quam ad malos libros exponendos adhiberi potest ideoque non natura sua ad malum finem dirigitur. Quare per accidens deputati catholici in comitiis sive Status sive Municipii talibus institutis subsidiis suffragari posse videntur, si ex una parte mali impediendi impares sunt et ex altera parte hoc modo agendi subsidia pro catholicis eiusmodi institutis recipere valent. Ofr. n. 407. qu. 4.

QUAER. 5º *An liceat pravos libros iam emptos ad emptores DEFERRE.*

Resp. Licebit ex gravi causa; quia, postquam emptores librorum dominium acquisiverunt animo legendi illos, ea delatio non movet pravam eorum voluntatem, atque ideo cooperatio non nisi materialis est.

QUAER. 6º *An liceat administris viarum ferrearum, postarum, telegraphiarum, deferre pravos libros, prava diaria, prava telegrammata.*

Resp. *Affirm.*; quia, ad maiora mala vitanda, Gubernium potest eiusmodi articulos a *politica commercii* libertate non excludere, imo hodie ea excludere moraliter nequit; ergo et administris ea deferre possunt. Excipe tamen ea, quae lege forte excepta sunt.

5. *Cooperatio ad falsos ritus.*

**407.** — QUAER. 1º *An liceat ministrum haereticum advocare, ut moribundo suae sectae assistat.*

*Resp. Dist.* 1º Eum advocare ut moribundo religionis auxilia et solatia praebat, non licet, sed Catholicus debet passive se habere, et expediet, data occasione, id declarare. Ita decretivit S. Offic. 15 Mart. 1848, 7 Julii 1864, 5 Febr. 1872. Ratio est, quia ministrum eo fine advocare, idve ei dicere, est ab illo aliquid petere, quod sine peccato facere nequit; quod sane non licet.

2º Adhibere pro advocatingo ministro haeretico ministerium alicuius personae pertinentis ad respectivam sectam postulantum, licitum est; quia sic salva manet doctrina de vetita communicatione in divinis. Ita declaravit S. Offic. 14 Dec. a. 1898.<sup>1)</sup>

3º Nuntiare tantum, esse moribundum suae sectae, qui cupit eius visitationem, etsi praevideatur ministrum operam religiosam esse praestitum, est cooperatio materialis tantum; sed, cum agatur de noxa aeterna moribundi, requiritur ad illam coherestandam causa gravissima, nimirum si ex denegatione mala maiora immineant, ut odium publicum Catholicae Religionis, demptio facultatis pro Monialibus multa bona efficiendi.

De cetero, assistentes contra posse curare debent ut moribundo, si in bona fide esse videatur, aliter prospiciant, nimirum, ut cum ipso actus necessitate medii necessarios, actum perfectae contritionis praecipue, eliciant. (Lehmkuhl. n. 810.)

**QUAER.** 2º *An fas sit aedificare Iudeorum synagogas vel haereticorum templorum.*

*Resp. Dist.* In locis, ubi libertate cultus non fruuntur, vel agitur de secta haeretica recenter exorta, quae adhuc in flagranti rebellione contra Ecclesiam est, non licet; quia grave scandalum praeverberet falsum cultum promoveret.

In locis vero, ubi iam diu in pacifica possessione libertatis cultus sunt, architectus non excusatur, nisi ob metum gravis damni: operarii vero subalterni, uti rescripsit S. Off. 7 Iulii 1864 ad 10, non sunt inquietandi, dummodo absit scandalum nec sit in contemptum Religionis. Ceterum, addit, semper monendi sunt ne haereticorum cultui cooperari intendant.<sup>2)</sup> Ratio est, quia templum per se non est malum, sed cooperatio architecti ad eius abusum proxima est, operiorum vero remota. (n. 72. Lehmkuhl. n. 816.)

Nullatenus tamen licet tempora vel altaria idolorum aedificare, idola confidere aut vendere idolatria, ut declararunt S. C. de Prop. Fide 7 Dec. 1626 et S. Offic. 8 Ian. 1851.<sup>3)</sup> (n. 59. S. Thom. 2. 2. qu. 169. a. 2. ad 4.)

**QUAER.** 3º *An liceat ad usum haereticorum fabricare, vendere, collocare organa, suggestum, aliaque cultus utensilia.*

*Resp.* Cooperatio nonnisi materialis est, proxima tamen; ideo non licet, nisi ex metu notabilis damni. Consule dicta n. 405.

**QUAER.** 4º *An liceat conferre pecuniam ad tempora, scholas, instituta haereticorum.*

*Resp.* Quatenus haec religiosa sunt aut religioni subiecta, regulariter non licet; quia a formalis cooperatione communiter excusari nequit. Aliquando tamen rerum

<sup>1)</sup> *N. Rev. theol.* 1899. pag. 420. *Coll. Prop. Fide.* n. 2030.

<sup>2)</sup> *Coll. Prop. Fide.* n. 1267.

<sup>3)</sup> *Ibid.* n. 29 et 1055.

adiuncta ea esse possunt, ut tantum sit cooperatio materialis. — Quocirca S. Poe-nitentiaria interrogata an Catholicis liceret pecuniam pro aedificando templo haeretico conferre, anno 1822 respondit licere « tantum ad se suaque templa ab incommoda illa ac scandalosa cum Protestantibus simultaneitate liberanda. »<sup>1)</sup> Simili ratione, si ex aerario publico subsidia dari solent diversis cultibus pro rebus ad cultum religiosum spectantibus, Deputati etiam Catholic, qui hisce subsidiis suffragantur, excusari possunt; quia *permittunt* tantum ut *Gubernium* ea conferat, tum ut pax publica inter cives diversae religionis servetur, tum ne secus cultui Catholic subsidia necessaria iniuste denegentur. (Lehmkuhl. n. 818.)

---

<sup>1)</sup> Konings. n. 313. sub. 2.